2

FORTVNII LICETI
GENVENSIS

In Patauino Lyceo Philosophi Ordinarij

DE RATIONALIS ANIMAE
VARIA PROPENSIONE AD CORPVS
LIBRI DVO.

AD ILLVSTRISSIMVM, ET EXCELLENTISS. PRINCIPEM

DON EMANVELEM
DE FONSECA, ET ZVNICA,
COMITEM MONTEREI, ET FVENTES, &c.
VICE-REGEM REGNI NEAPOLITANI &c.



Patauij. Typis Paulli Frambotti. MDCXXXIV. Sup. Permissu.

Illustrissimo & Excellentissimo Principi

DON MANVEL

DE FONSECA Y ZVNIGA,

CONDE DE MONTEREY,

Y CONDE DE FVENTES.

Sẽnor de los Estados, y Casas de Viedma, y Vlloa,

y Sẽnor de la Casa de Riuera,

y del Solar de Araujo,

Treze de la Orden de SANTIAGO,

Comendador de la Encomienda de los Bastimentos de CASTILLA,

Gentilombre de la Camara de su Magestad, De su Consejo de Estado,

Presidente del de ITALIA,

VIRREI,
y Lugarteniente, y Capitan General
DEL REINO DE NAPOLES
y Enbaxador Extraordinario a Roma &c.

FORTVNIVS LICETVS.

B. A.



Ouis Gentilium Deorum Principis e cerebro natæ Mineruæ, litterarum pariter & armorum Præsidi, quum a veteribus & instrumenta bellorum, & monumenta librorum consecrata passim animaduerterimus Liceti fratres (Heros aui nostri): Tibi dudum ex Hispanici Iouis consilio prudentissimo ad Neapolitani Regni litteras fouendas, militiasque regendas, quin & ad Politias gubernandas egresso: quemadmodum Claudius miles arma sua Vice-Regi, & Capitaneo Generali prudenter dedicauit; ita Philosophus ego nunc volumen hoc meum De Rationalis Animæ Varia Propensione ad corpus *inclyto Nomini littera-*

tissimi

tissimi Principis inscribere non sum veritus, paruoque munere maximam Tuam Dignitatem venerari; sed potissimum incomparabilem illam reuereri Benignitatem, qua nouissime Claudium Licetum fratrem meum non ita pridem ex Belgio, vbi plures annos Vexillifer egerat sub Herois Marchionis Ambrosij Spinulæ felicibus auspicijs, Italiam appulsum comiter excepisti, mirificeque fouisti; & perspecta ipsius militari peritia, visisque publicis monumentis egregia facinora non apud Belgas tantum, sed etiam in Palatinatu pro Catholico Rege fortiter ab eo patrata contestantibus; quin & eiusdem arte bellica non vnico nec mediocri periculo & experimento satis animaduersa & comprobata; denique Tu (clementissime idemque prudentissime Vice-Rex) qui virtutem negligere nescis, & præclare gesta non pateris irremunerata, Vexilliferum Belgicum Licetum ad Capitanei Battaleonis Regni Neapolitani Dignitatem in Brutiorum Regionis Castro-Villari munificus iustus & vna benignus euexisti. Ceterum non fraterno solum, sed & meo quoque

nomine Donarium hoc immortali Tuæ Gloriæ ſuſpendere debui (Magnanime Princeps) quia ſi Bellicoſus fratrem meum Militiæ Candidatum protegis, idem Tu nouus Hercules Muſageta litterarum ſtudia colere, Studioſiſque patrocinari ſuetus, alumnorum Sapientiæ Voluntates Tibi mire propenſas conciliaſti; quos inter ego ſemper humillima Te venerabor obſeruantia. Te certe Palladis officijs vtriſque, Diſciplinis nimirum promouendis, & armis egregie tractandis; inſuper & Iouis muneri, populis nempe bene regendis aptiſsimum quum agnouerit Rex Catholicus, conſultiſsime Tibi, Litterariæ ſimul & Militaris Reipublicæ Politiaque cultori præcelſo, vices ſuas dedit, gubernaculaque commiſit illius Regni, in quo Litteræ conſimiliter et Arma Principatuſque proprium videntur habere domicilium, & ſub Te moderatore maximum ſuſcipere poſſe decus & incrementum. His itaque rationibus permotus, ac præſertim ſingulari Tuæ clementiæ confiſus (optime Princeps) non dubitaui nunc has meas contemplationes Tibi, tanto Principi,

nun-

nuncupare; nec non a summa Tuarum virtutum & Dignitatum luce meo volumini splendorem non exiguum, meoque fratri Regiam protectionem bene sperare. Vale Principum iubar, & Capitaneum Claudium Licetum fratrem meum in Tuam clientelam olim tam humaniter acceptum fouere ne desinas; sed munificus ipsius protector virum tot annos de Regia militia bene meritum ad altiores bellicæ disciplinæ gradus indies promouere pro opportunitate ne renuas. Iterum Vale. Patauij. *In Museo nostro: ipsa die Sancti IACOBI Maioris Hispalensium Protectoris: VIII. Calend. Augusti. MDCXXXIV.*



AD
FORTVNIVM LICETVM
Doctorem & Scriptorem eximium

TE lego ſcribentem, audivi & te ſæpe docentem.
Aurea lingua tibi eſt, aureus eſt calamus.
Aurea concertant auratis ora, Licete,
Pennis: æquè ſunt aurea lingua, ſtylus.
Pennas Fama tuas auratis inſerit alis:
Inſerit & buccis aurea dicta ſuis.
Concrepat auratis geminis effata libellos,
Indis aduolitans, aurea Diua tubis.
Longa futurorum celebris per ſecla nepotum
Aurea decurret gloria ſumma Viri.
Antipodes noſcent Fortunia dicta, papyros:
Et noſcet ſuperi regia celſa poli.

Honorariam teſſeram; & perennitatis auſpicium canebat
Albertus Campanius O.P.
Publicus Sacræ Script. Patavij Profeſſor.

Index


Index Capitum in hoc volumine contentorum:

De Rationalis animæ Varia Propensione ad Corpus

Liber Primus

In quo distincte determinatur ex rei natura in Peripato, & apud Angelicum; Subtilemque Doctorem, Quando, & Quam Propensionem habeat Anima Rationalis ad corpus humanum, & subeundum, & animandum.

Præfatio Scribendi Occasionem, & materiam tractationis aperiens.





De rationalis animæ varia Propensione ad corpus

Liber Secundus:

In quo respondetur àrgumentis viri Florentis, nonnullisque rationibus alijs probare satagentibus, Animam rationalem post hominis interitum habere naturalem potentiam, physicamque propensionem ad corpus denuo subeundum.

Præfatio attexens dictis dicenda, locumque dubitationis aperiens:





FOR-

FORTVNII LICETI
Ad suos Libros
De Rationalis Animæ varia Propensione ad Corpus
Præfatio, Scribendi occasionem, & materiam Tractationis aperiens.



Vum in huius a Æræ litterariæ b vestibulo meus Apelles ingressus Officinam Sapientię Patauinæ, per c tabulam mentis Auditorum magnę amplitudinis, in machina primę prę-lectionis optata philosophicæ d picturæ, linguæ penicillo duxisset geminas ex cādido colore lineas huiusmodi, *Naturalis Philosophus, qui de Primo-Mouente immobili, tamquā de e Natura suprema f peragit ex officio; nō potest de Rationali Anima post obitum hominis a corpore separata tractare; quod ea nullā penitus habeat g naturalem potentiam, physicamue propensionem ad materiale corpus: quum Physiologus ea solummodo consideret, quæ concernunt quomodocumque materiam; a qua nō potest vllo modo Physicus h abstrahere; qui contestatione Magistri singula definit, vt i simum, non sine materia:* Quumq; secūdum hoc theorema, sic efflagitantibus plerisq; studiosis, mox lucidioribus firmiorū rationum colotibus altera k lectione pinxisset: Floridi viri Protogenes, qui lineis vtrisque ducendis præsens contemplator consederat, cōscensa postea machina suæ l primæ, m secundæque prælectioni optata, per eamdem tabulam eodem linguæ penicillo ducere conatus est contrarij coloris binas alias lineas, quibus Apellis priores illas medias proscinderet; probare satagēs *Neque Primum-Motorem, a Physico tractatum, esse n Naturam:* Neque *rationalibus Animis per mortis gladium a corpore separatis deesse o naturalem potentiam, physicamque propensionem ad corpus denuo subeundum.* Quibus vtrisque visis proprias intersecantibus lineis cōtradictorijs, Apelles arrepto subtiliori penicillo calami,

a 1633.
b 3. *Nouemb.*
c *Plin. lib. 35.*
d 3. *de an. t. 15*
e 1. *theorema*
f 8. *ph. per tot.*
g 11. *theorema.*
h 2. *phy. t. 19.*
i 2. *phy. t. 21.*
k 5. *Nouemb.*
l 8. *Nouemb.*
m 9. *Nouemb.*
n 1. *contradictio.*
o 11. *contradictio.*

mi, lineas primi coloris tertias, quæ secundas Floridi Protoge nis apte secarēt, describere necessarium sibi, proficuumq; Studiosis existimauit: & quum *De Natura Primo-Mouente* duos libros iam inuulgauerit, primum problema satis communientes, oppositamq; contradictionem demolientes; in præsentia totidem promulgat Apelles *De varia propensione Rationalis Animæ ad corpus*, id ipsum præstantes circa secundũ theorema cõtrouersum; expectans a nouo Protogene superari veteris illius Artem, qui *p* Plinio teste quartam lineam tertię sectricem insuper efformare nequiuit: quod non erit forte difficile Florenti viro, tenuissimas nimirum quarto loco lineas Physico-Theologicas describere, quæ tertias dissecent: Qua Sapientiæ *q* Tetracty mētis oculo visa, per ipsam iurat Pythagorico more nunc Apelles, euasurum se tunc non minus Intellectu Protogenianum, quam semper fuerit affectu voluntatis propensissimus erga Florētem virum. Nunc igitur institutum meum est, ex Aristotele potissimum ostendere Rationales Animas, etsi priusquam corpori consocientur, naturalem vtcumque propensionem habeant ad corpus prima vice subeundum; pariterque dum in corpore degunt, physicam obtineant inclinationem ad corpus determinato tempore sibi a Natura præscripto viuificandum; vbi tamen interuentu mortis ab humano corpore quæque suo seiunctæ fuerint, nullam in se penitus retinere naturalem potentiam ad corpus iterum subeundum, nullumque prorsus appetitum naturalem habere, quo physice cupiant iterum corporibus associari; sed tantum ad corpora denuo subeunda obtinere non-repugnantiam, quæ potentia logica nuncupatur; & potentiam Obedientialem, quæ supernaturalis est; nec non etiam moralem, seu Diuino-politicam; quæ physica non est, sed vtcumque supernaturalis, ac Theologica, longe transcendēs omnes Physiologię limites, & superegrediens omnes Naturæ metas; proindeque non solum ab Aristotele nullis tractata locis, verum aperte *r* negata; proscriptaque quin etiam sæpius a Theologorum Coryphæis, Angelico Doctore Thoma, Subtiliumque Principe Scoto, nostram opinionem, Aristotelicamque sententiam in proposito mirifice communientibus.

p lib. 35. c. 10.

q Bong. de myst. n. 1v.

r 1. de an. t. 4 i

Rem igitur aggrediamur Diuinis auspicijs: Spiritus Sancti gratia illuminet sensus & corda nostra.

FOR-

FORTVNII LICETI

De varia Propensione Rationalis animæ ad corpus

LIBER PRIMVS:

In quo distincte determinatur ex rei natura in Peripato, & apud Angelicum Subtilemq; Doctorē, quādo, & Quam Propensionem habeat anima Rationalis ad corpus humanum, & subeūdum, & animandum.

Rationalis animæ triplicem esse Statum; qui nullis alijs formis communis esse valet. Cap. I.



QVum Animatum, quæcumque naturalibus corporibus vitam elargiuntur, aliæ quidem assistentes ab Aristotele ponantur, aliæ vero sint informantes: assistentes profecto sunt formæ singulæ cælestes, *a* quæ sub nomine Primi-Mouentis a Physiologo *c* tractantur, Intelligentiæ *b* nuncupatæ: sed informantes sunt omnes formæ, quibus viuentia subcælestia passim animantur. Ac vt cælestes omnes animæ sunt immortales, & ad aures Aristotelis a substrata sibi materia *d* perpetuo circumrotata naturaliter inseparabiles; ita Statum vnum tantummodo physicum habent; quoniam in Peripato nec ante subiectum sibi corpus extiterunt vnquam, nec ætherei

a 2. cæl. t. 13
b 8. phy. t. 34. & seqq.
c 12. met. 48
d 8 phy. t. 45. & seqq.

post illius corporis dissolutionem vllam superesse possunt; quia cælum de sententia Magistri coæuum est, coæternum, & coexistens Intelligentijs sibi appropriatis, ac nunquam non assistentibus. At vero subcælestium animarum, quęcumque continentur infra rationalem, motiua, sentiens, & vegetalis, vt a suis quæque corporibus caducis inseparabiles itidem sunt, quia dependentes a materiali corpore sine materia corporali consistere minime queunt; licet corruptibiles habeantur, vnicum & ipsæ Statum habent in corpore; quum nec ante corpus præfuerint, nec post corporis corruptionem superfint, corpori suo pariter coæuæ. Sola rationalis Anima, qua constituitur [e] homo, quum corpori nostro forinsecus adueniat [f] antiquissima [g] decretis Aristotelis; & a corpore moriente separetur [h] incolumis; quod late dudum ostendimus in opere de Immortalitate Animorum; Rationalis inquam anima sola triplicem habet omnino Statum in relatione ad corpus; etenim & præexistit antequam corpori recens organizato copuletur in formam; & inexistit in organizato corpore, vitam illi concilians ad [i] præstitutum a Natura tempus; & superest immortalis post corporis dissolutionem, ab eo penitus [k] separata. Quamuis autem ab Aristotele dicatur præexistere ante corporis ortum ab æterno; nonnullisque Theologis existimetur præfuisse ante corpus ab initio [l] Mundi; alijsque statuatur præcedere corpus non tempore, [m] sed natura, & origine solum; alijque de mensura primi huius animæ Status ambigunt; vt constat ex Diuo Hieronymo talia scribente ad Anastasium, [n] *Alij asserunt, quod formatis in vtero corporibus, Deus quotidie faciat animas, & infundat; alij quod factas iam olim, idest, tunc quum omnia Deus creauit ex nihilo, nunc eas iudicio suo dispenset in corpore. Et hoc sensit* [o] *Origenes, & nonnulli alij Græcorum: Ego vero quum hæc singula legerim, teste Deo dico, quia vsque ad præsens, certi, vel definiti aliquid de hac quæstione non teneo, sed Deo relinquo scire quid sit in vero; & si cui ipse reuelare dignabitur.* Sed & ij Theologi, qui cum Diuo Thoma [p] constituunt, animam præcedere vnioni primæ corporali, non tempore, sed natura, & origine solum; nam a corpore minime [q] pendens, e materiæ potentia non [r] educitur; sed a summo Deo ex nihilo creatur, & in eodem instanti creationis infunditur corpori:

[e] 2. de gen. an. cap. 3.
[f] cap. 4. ibid.
[g] 1. de an. t. 82.
[h] 1. de an. t. 60. 65.
[i] 2. de an. t. 21.
[k] 3. de an. t. 7
[l] 2. de gen. t. 57.
[m] 3. de an. t. 3. 20.
[n] 12. meta. t. 17. 51.
[o] Orig. tom. 4. lib. 1. Periar. c. 7. 8.
[p] D. Th. p. 1. q. 90. ar. 4 in c.
[q] epist. 38.
[r] 1. Peria. c. 7. 8. tom. 4.
1. p. q. 90. ar. 4 c.
2. de gen. t. 42.
2. de gen. an. cap. 3.

pori: primum eius Statum considerant in ordine naturæ, quo via originis creatio animæ præcedit eiusdem infusioni, ac vnioni cum organizato corpore, quæ copulatio fit in secundo signo; siquidem non ens non potest enti copulari; & ipsum esse est finis ac terminus [s] generationis, & [t] originis in omni re. Quæ quidem prioritas originis in ordine naturæ minime conuenit vegetali, sensitrici, motiuæque animæ; quę singulæ sic in ortu suo pendent a materia corporali, [u] vt ex eius potentia deducantur, ex ea fiant, [x] & in ea ipsimet affixæ producantur ab agente physico: quare quum fiant in corpore, & producantur ex corpore, velut ex materia subiecta earum generationi & existentiæ, sunt corpore sibi substrato natura, & origine posteriores, non autem priores; quod attributum posterioritatis habent commune cum formis alijs omnibus a materia dependentibus, quemadmodum aperte nos edocet Aristoteles asserens subiectam formis naturalibus per generationem materiam esse quid prius, & principium formis ijsdem ex materia dependentibus, his notis, [y] *Ad hæc autem adhuc & hoc aliquis dubitauerit, nisi quis aliam supposuerit contrarijs naturam: nullius enim videmus eorum, quæ sunt, substantiam, contraria: principium autem non de subiecto oportet dici aliquo; erit enim principium principij: subiectum enim principium, & prius videtur esse prædicato*: quo loci nomine subiecti, & prædicati certum est Aristotelem ad aures omnium Interpretum significare materiam, & formam ex materia generabilem. Primus ergo Status animę rationalis est extra corpus quomodocumque, priusquam corpori copuletur in formam: quem quidem Statum Aristoteles metitur æterno tempore præcedente cum mundi æternitate generationem quamlibet indiuiduam singuli cuiusque hominis: Plato vero mensurat ipsum tempore finito, quod coæuum existimat generationi Mūdi, quem productum arbitratur in principio temporis: at multi Theologi primum animæ Statum anteaquam corpori copuletur in formam non metiuntur vllo tempore, nec fortasse vllo temporis momento, sed solum instanti naturæ quodam in Originis ordine. Secundus vero Status animæ rationalis, quo communicat cum ceteris formis tam se dignioribus, quam etiam vilioribus, est ipsiusmet animæ rationalis degentia in humano corpore: Quemadmodum

[s] 5. *phy. t. 4.*
[t] 2. *meta. t. 7.*
[u] 2. *de gen. an. c. 3.*
[x] 1. *phy. t. 52.*
[y] 1. *phy. t. 52.*

autem omnes tum Philosophi, tum Theologi consentiunt vnanimes rationalis animæ cuiusque Statum in corpore physicam durationem non habere perpetuam, vt Status animæ cæleſtis in orbe suo, nec momentaneam; siquidem, vt ait

z 8.*phy.t.*63. 1. *de an.t.*63. Aristoteles, z *In generatione & corruptione penitus absurdum esse videbitur, si factum confestim necesse est corrumpi, & nullo tempore permanere*; sed temporariam: ita prorsus in huiuscemodi Status finita duratione non diffidet anima rationalis a vegetali, sensitiua, & motrice; quæ singulæ sui durationem in corpore finitam habent, ac temporariam. Tertius denique Status animæ rationalis proprijssimus est, quo post hominis interitum permanet a corpore separata: Quem quidem Statum Aristoteles opinatur habere durationem in infinitum tempus; at nostri Theologi, & Platonici cum Pythagoreis (licet longe varia ratione) statuunt animam a corpore separatam non in æternum sine corpore permanere, sed ad statutum tempus determinatum, ac iterum ad corpus regredi, rursumque cum illo constituere hominem; Theologi quidem vere sentiunt animam semel separatam a corpore, rursus ad illud idem numero corpus, e quo egressa fuerit, supernaturaliter a Summo Deo reparandum, regressuram in vltima Die Iudicij, constituturam secunda vice hominem in æternum victurum seu felicem, seu infelicem; e cuius corpore nunquam in posterum anima separanda sit: Pythagorici vero Platonicis persuaserunt fabulosum commentum renouandæ millies transmigrationis singularum animarum rationalium de vno corpore in aliud, & sæpenumero specie distinctum; cui separabiliter connectetur ad aliud corpus etiam migratura.

Animam rationalem in primo Statu multiplicem habere vtcumque naturalem inclinationem ad corpus primo subeundum. Cap. II.

Profecto si consideretur Anima rationalis in suo primo Statu, anteaquam corpori consocietur in formam specificam, siue hunc Statum tempore metiamur in Peripato, siue cum Theologis vno naturæ momento: quemadmodum vnicuique certum est, corpus habere naturalem habitudinem,

physicamque potentiam, & inclinationem ad animam,
quam appetit [a] naturaliter, veluti sui complementum, a 1. phy. t. 81.
actum, perfectionem, & formam: ita mihi dubium non est
Animam quoquopacto vicissim obtinere physicam propensionem ad corpus; appetereque vtcumque natura sua cum
corpore copulari: Huiuscemodi vero physica potentia, seu
potius huiuscemodi naturalis inclinationis animæ rationalis
Rō. ad corpus prima vice subeundum ratio multiplex est in anima
I. nondum corpori consociata. In primis enim rationalis
anima, vt actus & [b] forma, est quid bonum, [c] Aristotele
Magistro: de natura vero boni est esse sui diffusiuum, & communicatiuum; vt omnes vltro confitentur: Quare anima rationalis naturaliter appetit vniri corpori, cui gestit semetipsam communicare in formam, & actum substantialem. b 2. de an. t. 4. 6. 7. c 1. phy. t. 81.
II. Deinde vero quum rationalis anima sit essentia sua constitutiua
hominis; nec hominem in esse constituere valeat, nisi corpori coniungatur in formam essentialem; propterea rationalis
anima ex se in ea prioritate seu temporis, quam posuit Aristoteles; seu naturæ, ac originis, quam agnoscunt Theologi;
qua singula præcedit corporis contactum, & societatem, habet naturalem quamdam propensionem ad corpus, & appetit vniri cum corpore, vt valeat hominem in esse constituere;
qui physice non est pura rationalis anima corpore vtens veluti vehiculo; quod Platonicis persuasere Stoici, definientes
hominem esse animam [d] rationalem in corpore; sed est animal rationale constitutum ex anima & corpore, tanquam ex d Epictet. in Ench. Cic. in som. Scip. Plat. in Symp. Ficin. conu. orat. 4. c. 4.
III. duabus partibus in vnam essentiam [e] coeuntibus, vt monet
Aristoteles. Deinceps autem quum anima rationalis essentialiter sit non solum intellectiuum [f] principium, sed etiam
loco [g] motiuum: motusque localis ab anima proficisci nequeat absque [h] corpore; proinde ne rationalis anima frustra facultatem motricem in se semper haberet; naturaliter e 1. phys. t. 12. 2. de gen. an. cap. 3. f 3. de an. t 1. & seqq.
IV. appetere debuit aliquando coniungi cum organico corpore
in actum primum, & formam essentialem. Præterea quum g 3. de an. t. 48. & seqq.
rationalis anima duplicem a natura sortita sit intellectum, h 1. cal. t. 99. 3. de an. t. 55.
speculatiuum, & practicum, Aristotele doctore; quemadmodum ipsa speculatiuum intellectum exercere potest in omni
Statu, nimirum & corpori iuncta, & ab eo seiuncta; quod i 3. de an. t. 34. & 49.
non semel obseruat Aristoteles asserens, Intellectum [k] humanum k 3. de an. t. 20.

num non aliquando quidem intelligere, aliquando autem non intelligere, sed in omni Statu, scilicet in corpore, ac extra corpus: & alibi decernens l Humanum intellectum in corpore non ita bene se habere, sed optimum esse obtinere extra corpus, vbi perfruitur æterna sui ipsius intellectione. Sic humana mens practicum intellectum exercere non potest extra corpus constituta, sed solum in corpore clausa; quia m practicus intellectus aut circa res effectibiles versatur, exercens operationes Artium; aut circa res agibiles, exercens actiones prudentiæ, virtutumque moralium: modo separatus a corpore noster Intellectus, vt Aristoteles n adnotat, & edocet experientia, nullam potest Artem exercere, non Medicinam, non Agriculturam, non Militarem, non Picturam, non aliam vllam; nullamque valet virtutem moralem, prudentiæue habitum ad actus secundos promouere: numquid affectus, & passiones concupiscentiæ, vel iræ temperabit, ac moderabitur animus a corpore seiunctus? nihil minus; quum ira, & concupiscentia sint in animali corporeo solummodo. Numquid anima sine corpore fortiter pro patria dimicare valebit, fortitudinis habitu pulchram mortem oppetens, quæ mori non potest? nemo tale quid vnquam dixerit: Numquid extra corpus anima rationalis agitabit commercia? quispiam nisi mente captus id asseruerit. Ne igitur in æternum priuaretur humanus animus virtutibus moralibus, quæ o frequentibus actionibus corporalibus acquiruntur; ac vt exerceret aliquando facultates intellectus practici, ne p frustra penitus illas haberet, ac semper ociosas; q quod Natura refugit: ideo rationalis anima naturaliter appetit cum materiali corpore quandoque iungi, physicam habens ad ipsum propensionem a prima sui origine. Postea rationalis anima naturaliter est capax r felicitatis; felicitas autem est s præmium honestarum actionum ab habitu virtutis moralis prouenientium; atque finis vitæ ciuilis bene actæ: Quum autem vita ciuilis, moralisque virtutis actiones agi nequeant extra corpus ab anima separata: propterea rationalis anima priusquam corpori copuletur in formam, appetitum naturalem habet informandi, & animandi corpus; cuius ministerio vitam ciuilem probe ducens, & virtutum moralium actiones exercens, medium habeat, quo

l 12. meta. t 51.

m 6. meta. t. 1

n 10. Ethic. cap. 7. & 8.

o 2. Ethic. c. 1

p 1. cal. t. 32 de an. inc cap. 2.

q 3. de an. t. 45. 60. 4. de part. c. 11. 13. 2 de gen. an. cap. 4.

r 1. Ethic. c 13

s 10. ethic. c. 7

felici-

felicitatem, illarum præmium, sibi conquirat: nam in primo Statu felix esse non potest anima rationalis; quum præ-
VI mium sine meritis non habeatur. Vlterius anima rationalis naturaliter est caussa, vnde risibilitas, & admiratio, propriissimæ passiones hominis exoriuntur; vt late demonstrauimus in libris de *t* Vita: quoniam vero passiones hæ, corporeæ quũ sint, ab anima separata prouenire nequeunt; quumque, vt calceamentum, cuius non est calceatio, frustra *u* sit; ita caussa sine suo effectu frustra sit, & superuacanea: quando Deus & Natura nihil frustra faciunt, nihilque patiatur Natura semper ociosum & superuacaneum *x* permanere: propterea ne rationalis anima semper in suo primo Statu perseuerans extra corpus in æternum aliquo suo destituatur effectu; neue frustra penitus & superuacanea semper in ipsa torpeat illa facultas ciendi Risum, & Admirationem; necessarium fuit animæ in primo Statu naturalem inesse propensionem, physicamque potentiam ad corpus aliquando tandem subeundum.
VII Posterius anima rationalis vim & facultatem habet promouendi locutionem, & sermonem, vocemque significatiuam articulatam; qui sermo sine corpore nunquam edi potest; quum vox, vt sonus, sit motus aeris percussu duorum corporum animatorum excitatus, siue quod ait *y* Aristoteles, percussio respirati aeris ab anima, quæ inest in gutture, pulmone, trachea, lingua, palato, dentibus, & labijs: proinde ne facultas loquendi frustra, superuacaneaque semper esset in anima nunquam corpori iuncta; naturali quodam
VIII appetitu rationalis anima in primo Statu propẽdet ad vnionem cum corpore. Amplius anima rationalis facultatem habet sibi a natura congenitam gubernandi vegetalem, & sentientem, motricemque pariter in omnibus earum muneribus obeundis: quo factum est vt in Ecstasi vehementi tota occupata circa valde intelligibile, vel valde amabile quodpiam obiectum, nullum præbens auxilium inferioribus animæ humanæ partibus, in caussa sit vt homines illi non alantur, nec sentiant sensibilia vehementissima, nec respirent, vlloue motu moueantur; quod fuse demonstrauimus in opere *z* De his qui diu viuunt sine alimẽto, & in libro de *a* Ferijs altricis animæ: Quia vero rationalis anima degens extra corpus nequit gubernare vegetalem, sensitricem, aut motricem,

quæ

t lib. 2. ca 26.

u 1. cel. t. 32.

x 4. de part. an. c. 11 13 2. de gen. an. cap. 4.

y 2. de an. t. 90.

z lib. 2. c. 199 & 200. disp. 24.

quæ sunt animæ nunquamnon in corpore degentes; ideo ne frustra, & ociosa semper maneret hæc facultas in anima rationali; naturalem habet ipsa propensionem ad corpus prima vice subeundum, quo valeat aliquando gubernare inferiores animæ partes; & ita Deo summo se se[b] similem vtcumque reddere; qui magni mundi partes omnes, entiaque cuncta bene[c] gubernat. Denique vero rationalis anima mediæ cuiusdam essentiæ quum sit inter formas penitus a materia separatas, & eas, quæ materiales omnino, sunt in materia prorsus inseparabiliter: profecto sic se se habet ad corpus, vt natura sit indifferens ad habendum, & non habendum corpus; & propensa consimiliter ad corpus actuandum, & non-actuandum; & pariter in potentia ad corpus animandum, & non-animandum: sic materia dicitur indifferens ad quamcumque formam habendam, & non-habendam: quemadmodum autem materia naturalem potentiam obtinet ad singulas eas formas, quas nondum suscepit; ita rationalis anima physicam inclinationem habet in suo primo Statu ad proprium[e] sibi corpus, cui nondum copulata fuerit in formam: Animam vero rationalem materiei proportione respondere in proposito, latius infra[f] patebit ex Aristotele. Sic igitur anima rationalis in primo Statu, siue spectata in ea prioritate, si non temporis, saltem naturæ, ac originis, ordinisue, qua præcedit commercio corporali, naturalem habet inclinationem, physicamque potentiam multis de caussis, quibus appetit copulari quandoque cum corpore sibi proportionato, & ad se disposito.

IX.

b 1. *meta. su.* 2. *cap.* 2.
c 12. *meta. t.* 56.
d 2. *phys. t.* 26.
e 1. *de an. t.* 51. 2. *de an. t.* 24. 26.
f *cap.* 24.

Rationalem animam appetitu naturali concupiscere diutule permanere in humano corpore sibi congruo ad certum tempus. Cap. III.

SIn autem spectemus animam rationalem post hominis constitutionem in corpore suo degentē, atque adeo in secundo Statu naturæ, pariter asseuerandum est ipsam quoquopacto physico quodam appetitu desiderare, naturalique propensione appetere in eo permanere formam essentialem ad certum tempus, quo valeat omnes suas naturales facultates exercere in præstitutum sibi a Deo, & a Natura finem:

In

Rō. I. In primis enim quum Deus, & Natura nihil [a] frustra faciant, Aristotelis obseruatu; quumque Natura vt cuique alteri vilioris conditionis viuenti, sic etiam homini viuentium mortalium [b] præstantissimo naturalissimum opus dederit generare sibi simile in hunc finem, vt quæ propter materiæ participationem, interitum nunquam non [c] aduehētis, perpetua nequeunt esse in [d] indiuiduo, saltem speciei consequantur æternitatem, qua summo Deo quomodocumque similia reddantur; quod aperte confitetur Aristoteles tum vbi scribit, [e] *Naturalissimum enim operum, quæ in viuentibus, quæcumque perfecta, & non mutilata sunt, aut generationem spontaneam habent, est facere aliud, quale ipsum; animal quidem animal, plantam aut plantam, vt ipso semper & diuino participent, secundum quod possunt: omnia enim illud appetunt, & illius caussa agunt omnia, quæcumque agunt secundum naturam. Ipsum* [f] *autem cuius caussa duplex est; hoc quidem cuius, illud vero cui: Quoniam igitur communicare non possunt ipso semper, & diuino continuatione, propterea quod nihil contingit corruptibilium idem & vnum numero permanere; secundum quod potest participare vnumquodque, sic communicat, hoc quidem magis, illud vero minus; & permanet, non ipsum, sed quale ipsum, numero quidem non vnum, specie autem vnum.* tum vbi dicit, [g] *Quod omnis natura eius est essentiæ procreatrix, qualis ipsa est; veluti stirpes, & animalia; nam vtraque gignunt, ex principijsque producunt: vt arbor ex semine; id namque principium est.* tum vbi ait, [h] *Quum enim rerum alia sint sempiterna, summeque diuina, aliæ, quæ possint & esse, & non esse; pulchrum autem diuinumque illud caussa semper sua natura melioris conditionis in rebus contingentibus sit; quod vero sempiternum non est, id & esse, & particeps tum deterioris conditionis, tum melioris esse possit: quumque anima sit corpore melior, animatumque inanimato præstet propter animam; & esse quam non esse, & viuere quam non viuere melius sit; efficitur his de caussis vt generatio sit animalium: Quum enim natura eius generis sempiterna esse non possit, quo modo fieri potest, eo sempiternum, quod gignitur, est; numero igitur non potest; substantia enim rerum in singularibus est; quæ si talia essent, sempiterna essent: specie vero potest: itaque genus hominum semper, & bestiarum, & plantarum est: Sed quum principium sit eorum mas atque femina; sit*

a 1. cal. t. 32.
b 6. Ethic. c. 7.
c 1. phy. t. 81. 12. meta. t. 30.
d 2. de gen. an. cap. 1.
e 2. de an. t. 34.
f 2. de an. t. 35
g 1. mag. mor. cap. 10.
h 2. de gen. an. cap. 1.

vt generationis gratia sit mas & femina in rerum natura.
Quum autem generatio prolis in homine fiat ab anima rationali gubernante facultatem vegetatricem in hoc suo munere vtentem corporeis instrumentis, ad iustam magnitudinem beneficio nutricationis, & diuturnioris augmenti prouectis; non enim potis est infans generare prolem; sed in adultis tantummodo generatio sobolis, indiuiduique similis speciei reperitur: propterea rationalis anima in ortu hominis consociata corpori, naturaliter appetit in eo corpore tamdiu permanere, quo conquisita nutricatu & auctu debita membrorum naturalium, generandæ soboli a natura institutorum, magnitudine, prolem procreare valeat multiplicem, ad speciei humanæ perennitatem; tempus autem generationi congruum a iuuentute producitur vsque ad vlteriorem senectutem: habet igitur anima rationalis in corpore degens naturalem inclinationem, physicamque potentiam ad corporis consortium ab ortus humani primo principio vsque ad naturalem hominis interitum. Deinde vero II.
i 1. Eth.c.13. quum a Deo proponatur homini pro fine *i* sui proprio & naturali felicitas; quumque felicitas, quæ summum est bonum homini a summo Deo concessum in præmium honestarum actionum; proindeque sibi comparet homo felicitatem longiori tempore per actiones honestas, ab habitu virtutis moralis prouenientes; quod asserit Aristoteles inquiens, *l Eadem de caussa neque puer felix est; nondum enim est ad tales res agendas per ætatem idoneus; qui vero dicuntur felices, spe dicuntur; nam sicut diximus, & perfecta virtute, & vita perfecta opus est.* & alibi, *m Quum igitur sit felicitas bonum perfectum, ac finis: nos latere non oportet, id in ætate perfecta esse: non enim in puero (quia nec puer dici felix potest) sed viro; is namque perfectus; & ne quidem in tempore imperfecto, sed perfecto: perfectum fuerit utique tempus quamdiu homo viuere potuerit: recte namque a multis dicitur, felicem in longissimo vitæ tempore esse indicandum; vt opus sit perfectum esse, & in tempore perfecto, & in homine.* Atque alio in loco *n Quumque felicitatem præstantissimum illud esse constet; erit ea animæ excellentis operatio: hæc igitur perfectum quippiam est; vita vero & perfecta, & imperfecta: similiter & virtus; quippe quod alia integra sit, totaque; alia vero particula tantum: vnde & imper-*

k 1. Ethic.c.9 / 10. eth.c.7.

l 1. Ethic.c.9.

m 1. mag. m. cap.4.

n 2. Eudem cap.1.

fecto-

fectorum quoque imperfecta operatio est; quo ostenditur, felicitatem esse vita perfecta, & secundum perfectam virtutem operationem: Quum itaque felicitatem homo mereri, comparareque sibi nequeat nisi longiori tempore, ac tota vita perfecta semper exercendo probas actiones: Iam anima, quæ naturaliter felicitatem veluti suum finem o appetit; quum naturaliter appetens finem, necessario quoque naturalem habeat inclinationem ad ea media, per quæ talem finem sibi comparare valet; & ad ea instrumenta, quibus talis finis haberi potest; Anima rationalis inquam naturaliter appetit diutius in corpore commorari, propensionemque physicam habet ad commorandum in corpore vsque ad vitam perfectam, humanæ naturæ corruptibili congruentem: Ceterum hoc tempus mensurans appetitum naturalem hunc animæ, physicamque propensionem ipsius ad corpus in secundo Statu, non est æternum, ac infinitum vlla ex parte; sed terminatum, atque finitum vtrimque: quod non vna ratione demonstratur; In primis enim, Potentia, & actus ad quem refertur, sunt eiusdem ordinis, ac eiusdem generis; vt asserit p Aristoteles; profecto quum humanum corpus, & homo compositus ex anima & corpore, adeoque compositio corporis humani & animæ rationalis, æternam naturam durationemque non habeat, sed caducam; æternumque a caduco eidem Aristoteli q differat genere; propterea potentia naturalis, quam habet anima rationalis in secundo Statu ad coniugium ferendum cum humano corpore, non potest æterno tempore metiri, sed est necessario caduca. Deinde vero decretis Aristotelicis, vbi iucundum & molestum est, ibi necessario voluptas & dolor exoritur; vbi vero voluptas & dolor inest, ibi necessario reperitur appetitus; ait enim alicubi Magister. r *Inest autem plantis nutritiuum solum; alijs autem & hoc, & sensitiuum: si autem sensitiuum, & appetitiuum; appetitus enim concupiscentia est, & ira, & voluntas: Animalia autem omnia habent vnum ex sensibus tactum; cui autem sensus inest, huic & voluptas, & dolor, & iucundum, & molestum: quibus autem hæc, & concupiscentia; ipsius enim iucundi appetitus hæc.* Etsi vero nunc Aristoteles agat de animali appetitu, qui cum cognitione iungitur; attamen hic appetitus animalibus, & animabus, naturam cognitricem habentibus, naturalis est: immo vero

o 1. *Ethic.* 1. & *seqq.*

p 9. *met.* t. 13

q 10. *meta.* t. 26.

r 2. *de an.* t. 27.

proportionatus est appetitui animali naturali in ceteris conditionibus, etsi ponatur in ea conditione differre, quod appetitus naturalis cum cognitione nõ iungitur, vt animalis; nam vterque versatur appetitus circa bonum & malum, circa iucundum & molestum, adeo vt vterque præsente obiecto iucundo lætetur, aut simile quid gaudio sustineat; & præsente obiecto molesto appetitus animalis dolore crucietur, naturalis patiatur affectionem tristitiæ similem, ac proportionatam: Quum igitur anima rationalis ante senium per violentiam pellatur e corpore, talemque separationem cum maximo dolore perpetiatur; in vltima vero senectute absoluatur a corpore sine dolore, sponteque citra violentiam vllam exeat e corpore, ac secundum naturam; quin etiam, si Platoni credimus, cum gaudio, quod omnes suas facultates ac vires corporales exercuerit apte, ac inde tandem ad tertium Statum meliorem læta lubensque properet acceptura præmium suorum laborum: proinde asseuerandum est, Animæ rationali spectatæ in secundo Statu physicam potentiam inesse, naturalemque inclinationem ad commorandum cum corpore, quæ physica potentia degendi cum materiali corpore conseruetur in anima rationali vigens a primo exortu hominis vsque ad hominis interitum; nec vlterius protendatur, quum talis potentia naturam habeat finitam, atque caducam. Porro senes homines mori secundum naturam, sine vlla violentia, citra dolorem atque molestiam, & absque naturæ repugnantia; quæ simile quid est, ac proportionatum mœrori; ac si placet cum gaudio; non erit difficile nobis ostendere summos apud Philosophos; primum enim Aristoteles inquit in proposito, *Quapropter & paruis passionibus aduenientibus in senectute, celeriter moriuntur; propterea enim quod paucum est calidum, velut plurimo euaporato in multitudine vitæ, si qua vtique intensio fiat particula, cito extinguitur, quemadmodum momentanea & parua in ipso flamma existente, propter paruum motum extinguitur. Quapropter & sine dolore est quæ in senectute mors; nulla enim violenta passione ipsis contingente, moriuntur; sed insensibilis animæ absolutio fit omnino.* In eamdem sententiam Cicero, *Quid autem est,* ait, *tam secundum naturam quam senibus mori? quod idem contingit adolescentibus aduersante & repugnante natura; itaque adolescentes sic mihi mori videntur;*

de vit. & mor. ca. 14.

lib. de senect.

dentur, vt quum aqua multitudine flamma vis opprimitur; ſenes
autem ſicut quum ſua ſponte, nulla adhibita vi conſumtus ignis
extinguitur; & quaſi poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, vi auel-
luntur; ſi matura & cocta, decidunt. Multo prius id ipſum
Plato ſtatuerat in Timæo dicens, *Quando triangulorum illo-*
rum, ex quibus medulla conſicitur, olim coaptata vincula (nimi-
rum calor innatus, humidum radicale, corporiſque organi-
zata ſtrues, quæ tria ſunt vincula ab initio noſtræ generatio-
nis animam materiei colligantia) *nihil amplius nectunt, ſed de-*
fatigatione iam relaxata nexus animæ deſerunt; anima vero etiam
ſecundum naturam cum voluptate protinus euolat; quicquid enim
contra naturam fit, moleſtum: quod autem pro rei natura, iucun-
dum; ſimiliter & mors, quam morbi & vulnera intulerunt, vio-
lenta eſt, atque moleſta: quæ vero ſenio paullatim ad finem dedu-
cente naturaliter ſurrepit, inter omnia mortis genera leuiſſima
eſt, & cum voluptate potius quàm dolore contingit: nempe
tunc abſoluto tempore, quo rationalis anima naturali quo-
dam appetitu deſiderabat in corpore commorari: vnde
tertiam propoſiti rationem præcipuam ita nectere vale-
III. mus, Quicquid aduenit animæ rationali præter naturalem
eius inclinationem; id illi violentum eſt, atque moleſtum:
ſed animæ rationalis a corpore ſeparatio per mortem in vlti-
mo ſenio ſenſim obrepentem aduenit abſque violentia, ſine
dolore ac moleſtia penitus: quum ante ſenium mors omni-
bus permoleſta ſit, cum dolore ſummo, & maxime violenta:
igitur anima rationalis ab ortu noſtro naturalem potentiam
habet in corpore commorandi vſque ad vltimum ſenium;
quæ naturalis inclinatio deſinit, ac extinguitur in obitu ſe-
num naturali; qui propterea contingit abſque dolore, ac vio-
lentia. Sic ergo rationalis anima in ſecundo Statu corpori
iuncta naturalem habet propenſionem, & appetentiam in eo
commorandi vſque ad vltimam hominis ſenectutem, vt om-
nes vires ſuas, operationeſque corporales exercere, ac edere
valeat ad felicitatem illam ſibi comparandam, quam ipſi
Deus & Natura propoſuit in proprium & naturalem finem.

Anima

Animæ rationali per mortem hominis a corpore separata competere potentiam redeundi ad corpus supernaturalem, qua vocatur a Theologis Obedientialis. Cap. IV.

AT vero si sermo sit de tertio Statu rationalis animæ, ipsamque contemplemur post hominis interitum seu violentum, seu naturalem a corpore separatam; illi primum negari non potest obedientialis potentia redeundi ad corpus; quum anima separata semel a corpore solum ad imperium Summi Dei supernaturaliter operantis corpori denuo copulari valeat in formam: Quum etenim Deus omnium rerum, speciatimque rationalium animarum sit vt creator, ita etiam Dominus; quod vel Aristoteles veluti sub nube, ac per transennam non vno in loco nobis innuere videtur. Et sane Deum esse creatorem animarum Magister insinuauit inquiens, tum *a Quod Deus in anima lumen intellectus accendit:* tum Deum esse id, vnde rebus omnibus, *b* pendet esse & viuere, his quidem exactius, his autem obscurius: tum *c* A tali principio cælum, & naturam dependere: tum Deũ esse *d* patrem hominum atque Deorum: quam sententiam coluit Subtilissimus ille Scotus asserens, *e Quia certum fuit Aristotelem secundum sua principia posuisse animam intellectiuam esse a Deo immediate: & ad hoc attingere potest ratio naturalis; quum sit immortalis*. Deum autem pariter esse rerum omnium ac speciatim animarum Dominum indicauit Aristoteles dum ait tum, Deum *f* esse patrem hominum atque Deorum; nam patrem dominium habere in filios existimauit, & Deorum nomine rationales animas intellexit: tum, *g* a Summo Deo vno cuncta bene gubernari: tum, Deum ab omnibus esse metuendum, *h* atque colendum: tum demum, *i* Naturam hominum seruam esse, solumque Deum esse liberum: quæ singula fusius explicauimus in volumine De Rationalis Animæ Immortalitate: Quum inquam Deus ille Summus proprie sit animarum vt creator, ita etiam Dominus: quumque Dominus erga Seruos habeat plenissimam imperij potestatem; seruique singuli Domino suo semper obedire teneantur; hinc factum est vt omnia, & speciatim animæ sint in potentia obedientiæ erga Deum, qua Deo supra Naturæ metas

a 3. rhet. c. 10.
b 1 cel. t. 100
c 12. meta. t. 38.
d 1. polit. c. 8.
e Quolib. q. 21
f 1. polit. c. 8.
g 12. meta. t. 56.
h 1. mag. mor. cap. 6.
i 7 eudē c. 19
1. meta. c. 2.

metas imperante quodcumque placuerit suæ Diuinæ voluntati quibusque rebus, illę statim Diuino iussui parere debent, Diuinisque præceptis non obtemperare nequeunt. Quare rationalis anima post obitum hominis a corpore sciuncta degens, ad nutum Diuinæ voluntatis potest iterum corpori coniungi forma viuificans; qua ratione legimus in sacra pagina tum dudum imperante Domino *k* Mortuum adolescentem Viduæ filium vnicum, puellam Archisynagogi defunctam, *l* & quatriduanum Lazarum in sepulchro fœtentem *m* resurrexisse, illorum singulorum anima regressa rursum ad corpus, vnde per mortem exierat: tum demum in fine Mundi mortuorum omnium hominum animas ad sua quasque corpora *n* redituras, & homines omnes resurrecturos, improbos quidem ad pœnas infelicitatis æternæ; probos autem ad præmia perennis gloriæ, summæque felicitatis. Ceterum hanc obedientialem appellatam potentiam non esse physicam, sed supernaturalem, tum ratio suadet aperte, tum sacri Theologi contestantur vnanimes; ratio quidem, quia Natura non agnoscit mutationem, siue regressum, vt aiunt, a *o* priuatione ad habitum, doctore Aristotele: Theologorum vero Coryphæus Diuus Thomas aperte contradistinguit potentiam obedientialem hanc a potentia physica, & naturali, dicens, *p Et præter huiusmodi rationes non fiunt miracula: similiter etiam neque præter virtutes passiuas creaturæ inditas (vt ex ea fieri possit quicquid Deus mandauerit) sed præter virtutes actiuas naturales, & potentias passiuas, quę ordinantur ad huiusmodi virtutes actiuas, dicuntur fieri miracula, dum dicitur quod fiunt præter rationes seminales.* Et clarius alibi *q Dicendum, quod duplex capacitas attendi potest in humana natura; vna quidem secundum ordinem potentiæ naturalis; quę a Deo semper impletur, qui dat vnicuique rei secundum suam capacitatem naturalem: alia vero secundum ordinem Diuinę potentiæ, cui omnis creatura obedit ad nutum.* Et adhuc infra clarissime, *r Est autem considerandum, quod in anima humana, sicut in qualibet creatura, consideratur duplex potentia passiua; vna quidem per comparationem ad agens naturale; alia vero per comparationem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale: & hac consueuit vocari potentia obedientia in crea-*

k *Luc.* 7.
l *Marc.* 5. *Matth.* 9. *Luc.* 8.
m *Ioan.* 11.
n *Matth.* 25. *Iob.* 10.
o *Præd. cap. de Opposit.*
p 1. *p. q.* 115. *ar.* 2. *ad* 4.
q 3. *p. q.* 1. *ar.* 3. *ad* 3.
r 3. *p. q.* 11. *ar.* 1. *in c.*

creatura. Sic igitur in anima rationali post hominis interitum a corpore separata reperitur potentia quædam Obedientialis ad corpus denuo subeundum, quæ non est physica, sed supernaturalis. Quæ quidem potentia competit animæ pariter in primo, & in secundo Statu; quum semper sit summo Deo subdita; nam ad nutum Domini serua numquam non paret; etenim iubente Deo copulatur corpori, permanet in corpore, ac egreditur e corpore ante tempus, & post tempus a Natura sibi determinatum; vt constat in prorogata vita mortali Ezechiæ Regi, cuius diebus vitæ naturalis adiecit annos quindecim, illius anima commorante post præstitum sibi a natura tempus in corpore quindecim annos ad imperium Dei.

4. *Reg. c.* 20.

Eidem animę rationali post mortem hominis a corpore separatę potentiam inesse moralem ad corpus iterum assumendum, quę non est naturalis, sed politico-Diuina. Cap. V.

INsuper autẽ quum Deus omnia gubernet *a* optime, proptereaq; iuste; iustitięq; Diuinæ sit proprium munus mala facinora punire, probasq; functiones hominũ *b* remunerari; quod & Aristoteles non dissimulauit: quinimmo quum opera Iustitiæ pertineant ad Moralem, siue ad Politicam: iam Anima rationalis hominem in esse constituens, vt habet potentiam moralem, ac politicam ad bene vel male viuendum, quæ est potentia actiua indifferens ad bonum, & malum facinus quoduis perpetrandum; ita potentiam quoque moralem, ac politicam habet passiuam ad subeundum pœnam scelerum admissorum, & præmium bonorum operum. Quũ igitur plerique mortalium vniuersam vitam agant perdite semper inter scelera; nec vllam eorum criminum multam aut pœnam viuentes perpetiantur: & vicissim alij multi viri probi tota sui vita virtutis actionibus vacare perspiciantur, nunquam debitis affecti præmijs, at semper miserijs & calamitatibus conflictati; quumque talia virtutis moralis opera, sceleraue patrauerit non anima sola, sed homo compositus ex anima & corpore; profecto præmium bonarum actionum, & pœnam malarum recipere debent homines itidem compositi; quapropter animæ proborum irremuneratorum, &

a 12. *meta. t.* 56.
b 10. *Ethic. cap.* 8.

& improborum impunitorum suis quæque corporibus ex præscripto Diuinæ iustitiæ debent iterum vniri; adeoque potentiam habent moralem, seu Diuino-politicam ad corpus denuo subeundum: quæ quidem potentia non est naturalis, seu physica; tum quia si Subtilium Principi Scoto [c] Monachus, Religiosusue regularis facta professione dicitur mortuus ciuiliter; qui tamen physice mortuus non est, sed naturaliter viuit: eadem plane ratione potentia moralis, & politico diuina rationalis animæ defuncti ad pœnam, & præmium suorum facinorum in corpore subeundum, physica naturalisque non est: tum quia si Diuo Thomæ [d] lignum, & lapis; quod est corpus naturale, materialeque principium artificiosorum, non habet potentiam naturalem ad formam artificiosam, & omnino ad actum artis; pari certe ratione rationalis anima degens extra corpus demortui, non habet naturalem potentiam ad corpus denuo subeundum vt pœnas, vel præmia suorum operum condigne recipiat a Diuina Iustitia; sed solum moralem, aut politicam, siue Diuino-Moralem, aut Diuino-politicam, si placet: tum demum quia quum potētia denominetur, ac specificetur ab actu, ad quem refertur, Aristotele [e] doctore; quumque rationalis animæ cum corpore reunionis actus, qui resurrectio mortuorum est, non sit physicus & naturalis; neque sit debitus naturæ ipsius animæ, sed moribus; neque pertineat ad physicam naturalemque perfectionem animæ, sed ad moralem eiusdem conditionem prout subiacet Diuinæ iustitiæ; propterea constituendum est, potentiam animæ rationalis post mortem a corpore separatę ad corpus denuo subeundum esse moralem, aut politicam, seu diuino-moralem, aut Diuino-politicam; quæ proprie physica non est, nec animæ rationali vere naturalis.

[c] 4. sen. d. 32. qu. vn.

[d] 2. phy. lect. 1.

[e] 5. phy. t. 4. 2. de an. t. 49.

Animam rationalem a corpore seiunctam interuentu mortis, habere non-repugnantiam ad reassumendum idem, vel aliud corpus; quæ dicitur potentia logica. Cap. VI.

Præterea vero potentiam vtramque prædictam in anima rationali separata post hominis interitum a corpore, scilicet Obedientialem nuncupatàm, & moralē, seu Diuino-po-

liticam, quæ ambæ reales sunt, etsi non naturales, concomitatur potentia tertia quædam alia, Logica vocata, quæ proprie dicit non-repugnantiam apud [a] Subtilem Doctorem; & forte realis non est, vt opinatur [b] Suarez, sed intentionalis, adeoque non est physica; neque proprie naturalis; Quum etenim Deus contradictoria & repugnantia non efficiat; vt non solum constat apud Aristotelem [c] ex Agathone, cui

Re namque sola hac ipse priuatur Deus,
Vt facta minime infecta possit reddere.

Verum etiam passim omnes Theologi confitentur vltro, Deũ efficere non posse contradictoria; nam Diuus Thomas accipit a Sancto Hieronymo, [d] *Quum Deus omnia possit, non potest de corrupta facere incorruptam*: & a semetipso determinat, [e] *Quod præterita non fuerint (quum contradictionem implicet) non subiacet Diuinæ potestati. Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, sub omnipotentia Dei non cadit aliquid, quod contradictionem implicat*. Quumque præter supernaturalem potentiam obedientialem, & præter moralem, seu Diuino-politicam, & præter potestatem naturalem, quarta detur potentia Logica nuncupata, quæ consistit in pura non-repugnantia; propterea constituendum est, Animas rationales per mortem hominum a corpore separatas habere potentiam logicam, hoc est non-repugnantiam ad corpus denuo resumendum tum idem numero, tum etiam aliud; sed cum discrimine; quoniam quæ rationalis anima corpus idem numero rursus assumit, illud animat, & viuificat in verum & eumdem hominem numero; sic anima Christi Domini, Lazari, Thabitæ, filij Viduæ, ac hominis vniuscuiusque in finali Iudicio corpus proprium sibi reunitum animauit, ac animare debebit in [f] eumdem hominem vere denuo viuentem: Quæ vero corpus alienum anima sibi reassumit, ipsum proprie non animat, nec actuat essentialiter, nec informat in hominem viuentem; sed illi tantum assistit, ipsumque mouet motu locali, fucum faciens aspectui mortalium, quibus larvam offert pro homine spectandam: sic anima [g] Samuelis emortui, permittente Domino, per Pythonissam iussu Saulis reconi uncta corpori cuidam aereo, Sauli apparuit tristia prænuncians. Habet igitur anima rationalis post obitum homi-

[a] ... l. se. d. 39. q. 1.2.3.4.5.
[b] ... p. 760. col. 1 ... o. 2. meta dis. 43. se. 4 art. 2.
[c] ... 6. Ethic. c. 2.
[d] ad Eust. de cust. Virg.
[e] 1. p. q. 25. ar. 4 C.
[f] Iob. 19.
[g] 1. Reg. 28.

hominis a corpore separata non-repugnantiam ad corpus denuo subeundum, quæ dicitur potentia logica. Quæ non solum in hoc tertio Statu, sed etiam competit animæ in primo, & secundo; vt vnicuique notum est.

Rationali anima demortui a corpore separata non inesse potentiam physicam, naturalemque propensionem ad corpus denuo subeundum ostenditur multis rationibus ex Aristotele, ac ex rei natura in Peripato desumptis: & primo quia omnis potentia naturalis passiua est a materia; quæ nulla est in anima separata. Cap. VII.

Ceterum si sermo sit de naturali potentia, physicaque propensione rationalis animæ ad corpus iterum assumēdum, quæ dicitur naturalis appetitus, quo gliscit anima post hominis obitum a corpore seiuncta, corpori rursum consociari; nullam huiuscemodi physicam potentiam inesse dicimus in anima rationali per mortem a corpore separata, mul tis rationibus; quarum prima est, quia quum decreto [a] Philosophi potentia omnis naturalis proprie dicta necessario sit aut faciendi, aut patiendi; & eodem autore potentia passiua quælibet in [b] patiente sit ab eo principio, quod materia dicitur; quæ sola [c] sufficit ad patiendum; & est id, cuius participatione quodcumque passiuum est naturaliter, seu physice passiuum: Si ergo rationalis anima naturalem habet potentiam ad hoc, vt corpori denuo coniungatur; quum eiusce modi potentia non sit secundum quam anima facit, sed secundum quam transmutetur quomodocumque ab alio, proindeque patiatur a summo Deo rursus ipsam consociante corpori; necessarium est in anima, vel animæ reuera coniunctā esse materiam, ratione cuius hanc transmutationem sustinere queat naturali potestate, dum euadit de forma seiuncta a corpore in formam corpori coniunctam, seu vel de forma non-informante in informantem corpus, vel de non-assistente in assistentem corpori: modo rationalis anima per mortis interuentum sic a corpore separatur, vt etiam ab omni materia physica seiungatur: ergo rationalis anima demortui, materiam non habens, quæ principium est omnis passiuæ transmutationis, & radix omnis potentiæ passiuæ naturalis,

Rō. I.

a 9. meta. t

b ibid.

c 1. phy. t.

nullam in se penitus habet naturalem propensionem, physicamque potentiam ad corpus. Huius rationis fundamenta iecit Aristoteles inquiens,[d] *Quod igitur multipliciter potentia,*
9. meta. t. 2. *& posse dicatur, determinatum est a nobis in alijs: Harum vero quacumque quidem aequi uoce dicuntur potentiae, praetermittantur: Quaedam enim similitudine quadam dicuntur, vt in Geometria & possibilia, & impossibilia dicimus, eo quod quodam modo sint, aut non sint: Quaecumque vero ad eamdem formam omnes, aliqua principia sunt, & ad vnam primam dicuntur, quae est principium transmutationis in alio, prout aliud est: Aliqua enim est patiendi potentia, quae in ipso patiente principium est transmutationis passiuae ab alio, prout aliud est: aliqua vero habitus impossibilitatis, quae in deterius est; & corruptionis, quae est ab alio, prout aliud est, principio transmutatiuo: in his enim omnibus definitionibus inest prima potentiae ratio. Rursus autem hae potentiae dicuntur, aut ipsius faciendi solum, aut patiendi, aut ipsius bene: quare in harum quoque rationibus quodammodo insunt priorum potentiarum rationes: Manifestum igitur est, quod quodammodo quidem vna est ipsius facere, & pati potentia (potens enim est, & eo quod ipsum habeat patiendi potentiam, & eo quod aliud ab eo) quodam modo vero alia: haec enim in patiente est: propterea enim quod habet aliquod principium, & quod materia aliquod principium est, patitur quod patitur, & aliud ab alio.* Sic igitur omnis potentia passiua naturalis est in eo, quod patitur, ob participationem materiae; quae principium est,
[e] 1. Phy. t. 56. quod omnibus vnum sufficit ad patiendum, vt [e] alibi disertis verbis ait Aristoteles: Modo in anima rationali post hominis interitum a corpore separata nulla prorsus inest materia, nec illi coniuncta est vlla materia, quae sit principium patiendi physice: Rationalis igitur anima demortui nullam in se habet naturalem potentiam patiendi: sed si naturalem potentiam haberet ad hoc, vt ab aliquo agente coniungeretur denuo cum corpore in formam, vel informantem, vel assistentem; obtineret in se naturalem potentiam passiuam; nam coniungi est pati, & omnino transmutari de separato in coniunctum, ac in proposito de substantia non-actuante in formam actuantem: Sic igitur vere rationalis anima per obitum hominis a corpore separata non habet naturalem potentiam ad corpus denuo subeundum.

Secunda ratio ducitur ex eo, quod omnis potentia naturalis est ad actum, & neque corpus, neque coniunctio cum corpore est actus animae separatae à corpore defuncti. Cap. VIII.

II. Alia ratione quoque probatur idipsum, quoniam omnis potentia naturalis refertur essentialiter ad actum proprium, ipsumque per se primo respicit, veluti sui complementum ac perfectionem; quod ait Aristoteles tum dicens, a omnes potentias proprie dictas, præsertimque naturales prout contradistinguuntur ab æquiuocis, & a Geometricis appellatis, esse ad formam; quam generatim b alibi definiuerat esse actum: tum asserens, c *Hoc possibile esse, cui si illius insit actus, cuius potentiam habere dicitur, nihil impossibile erit.* & mox. *Nomen vero actus, qui ad perfectionem annectitur, aduenit etiam in alijs:* tum inquiens, d *& quoniam omne, quod fit, ad principium & finem progreditur: etenim cuius caussa principium est; generatio vero finis gratia; & huius gratia potentia sumitur.* tum addens, e *Item materia est potentia, quia progredi potest ad formam: quum vero actus sit, tunc in forma est & similiter etiam de ceteris, & quorum motio finis.* Ita ergo potentia naturalis omnis refertur ad actum, vt ad sui perfectionem, & complementum; Modo rationalis animæ post hominis interitum a corpore separatæ actus esse non potest corpus assumendum, neque coniunctio cum corpore; non quidem corpus, quoniam, vt ait Aristoteles, f *Non est corpus actus animæ, sed ipsa corporis cuiusdam:* neque vero coniunctio cum corpore, tum quia talis coniunctio est actus actiuus, seu actio coniungentis Dei, cuius solius potestate resurgunt mortui; non autem eorum, quæ connectuntur, animæ scilicet, atque corporis; quæ in tali coniunctione patiuntur: tum quia si sermo sit de hoc actu passiuo, qui passio nuncupatur, coniunctio animæ cum corpore non minus est actus corporis, quam animæ, sed æqualiter vtriusque: quum autem corpus demortui non habeat naturalem potentiam ad animam; etenim Aristoteles ait, g *Non est autem quod abiecit animam, potentia existens vt viuat:* & plerumque superstitis immortalis animæ corpus non amplius est, sed corruptione putredinis abiit in elemen-

a 9. meta. t. 2.
b 2. de an. t. 2.
c 9. meta. t. 7.
d 9. meta. t. 15.
e 9. meta. t. 16.
f 2. de an. t. 25.
g 2. de an. t. 10.

9 metar. t. 7 elementa; non ens autem non habet in se naturalem [h] vllam potentiam; iam & ad non ens, quod fieri ac esse physice non potest, nihil habet potentiam naturalem: igitur & animæ post mortem a corpore separatæ nulla inest naturalis potentia ad corpus denuo subeundum: tum quoniam omnis actus est [i] perfectio eius, quod est in potentia ad ipsum; anima vero post mortem a corpore separata non perficitur vllo modo physice, si corpori copuletur; nam Aristotele Magistro, [k] melius est humano intellectui non cum corpore esse; qui dum in corpore inest tamquam pars compositi viuentis, non bene [l] se habet; sed a corpore per mortem separatus optime se habet: Anima ergo rationalis a corpore separata per mortem non refertur ad corpus denuo subeundum tamquam ad sui actū, & perfectionem; vnde talis ratio nectitur in proposito, Potentia naturalis omnis refertur, ac tendit ad actum solum, quem respicit veluti sui perfectionem: sed anima rationalis post mortem a corpore separata non respicit corpus, neque coniunctionem cum corpore tamquam sui actum, a quo perfici valeat: igitur anima rationalis post mortem a corpore separata non habet naturalem potentiam ad corpus denuo subeundum. III.

i ibid.

k 1. de an. t. 49.

l 12. meta. t. 51

Tertia ratio depromitur ex eo, quod nulla potentia simpliciter est simpliciter incorruptibilium. Cap. IX.

INsuper autem animæ rationali post hominis interitum non inesse potentiam naturalem ad corpus denuo subeundum ea ratio conuincit aperte, quod Aristotelis decreto, *a Nihil simpliciter incorruptibilium simpliciter potētia est*; nam materia prima, quæ simpliciter potentia est, nempe potentiam habet naturalem ad omnes formas physicas, licet incorruptibilis sit, non tamen est simpliciter incorruptibilis; quum aliquo modo corrumpatur, vt admonet Aristoteles alicubi scribens, de materia, *b Corrumpitur autem, & fit, est quidem vt sic, est autem vt non; quatenus enim est id in quo secundum se corrumpitur; quod enim corrumpitur in hoc est priuatio: quatenus autem secundum potentiam, non per se*: vnde constat materiam non esse simpliciter incorruptibilem, sed aliquo modo corruptibilem, siue dicatur corrumpi per accidens, siue

a 9. meta. t. 17

b 1. phy. t. 82

siue dicatur corrumpi subiectiue, siue quouis alio modo: quum sit aliquo pacto corruptibilis, non est simpliciter incorruptibilis; adeoque potest ipsius potentia simpliciter esse; recteque scribitur ab Aristotele, *Nihil simpliciter incorruptibilium simpliciter potentia est*. Hæc autem potentia simpliciter est potentia naturalis, & ad actum substantialem; nam ad actum accidentalem non est nisi potentia secundum quid; quum sola substantia sit ens simpliciter; accidentia vero sint entia secundum quid; vt admonet [c] Aristoteles; cui potentia denominari debet ab actu, in quem velut in suum finem tendit; quoniam iustum est omnia denominare a [d] fine. Quibus ita se habentibus, rationem propositi sic efformamus; Nihil simpliciter incorruptibilium simpliciter potentia est: sed anima post obitum hominis a corpore separata est quid simpliciter incorruptibile: igitur animæ post obitum hominis a corpore separatæ nulla est simpliciter potentia, proindeq; nulla potentia naturalis ad corpus iterum subeundum, & hominem compositum denuo constituendum.

IV.

c 1. de gen. t. & seqq.
d 2. de an. 49.

Ex eodem fundamento colligitur simul nullam potentiam physicam esse ad actum simpliciter incorruptibilem, & quarta ratio propositi. Cap. X.

SEd & allatum ex Aristotele dogma quum veritatem habeat item in eo sensu, quo nulla potentia simpliciter est ad actum simpliciter incorruptibilem; siquidem potentia quum ad duo referri valeat, nimirum & ad subiectum, in quo inest; & ad actum seu ad finem in quem ordinatur & tendit; profecto Magister hoc suo pronunciato, [a] *Nihil simpliciter incorruptibilium simpliciter potentia est*, vt apte significare potuit, nihil simpliciter incorruptibilium esse subiectum, in quo sit potentia simpliciter ad aliquid, qualis est omnis potentia naturalis, & substantialis, ad differentiam non solum potentiæ accidentalis, quæ est potentia secundum quid; sed etiam tum supernaturalis, quæ dicitur obedientialis; tum Logicæ, quæ dicit non-repugnantiam; quas [b] Aristoteles æquiuoce-potentias appellauit: tum Geometricæ, quam asseruit esse [c] metaphoricam; Ita sane proposito eodem [d] dogmate significauit Aristoteles nihil simpliciter incorru-

a 9. meta. t. 17
b 9. meta. t. 2.
c ibid.
d 9. meta. t. 17

corru-

corruptibilium esse finem & actum ad quem tendat aliquid, cuius ad ipsum sit potentia simpliciter; nam si materia, & corpus humanum tendere dicatur in animam rationalem, ac in humanum intellectum; id non officit allato dogmati; tum quia corpus humanum, & materia non habet potentiam ad animam rationalem, quæ sit simpliciter incorruptibilis; ast ad animam humanam, quæ decretis e Aristotelicis est composita substantia ex partibus vegetali, sentiente, ac intellectiua; quod totum ex his tribus partibus essentialibus subordinatis in vnam integram animam humanam coalescentibus est corruptibile: tum quia humanus intellectus non est simpliciter incorruptibilis, sed qua passiuus est, aliquo modo corruptibilis est, decreto f Philosophi; perinde ac materia g prima; quæ omnia late discussimus olim tum in opere h de ortu animæ humanæ, tum etiam in volumine de i Animorum immortalitate. Sic igitur absolute ac formaliter verum est Nihil simpliciter incorruptibilium est potentia simpliciter, quod paullo prius dixerat Aristoteles alijs verbis inquiens; k *æterna enim priora corruptibilibus substantia sunt; nihil vero potentia æternum est: ratio autem hæc; omnis potentia simul contradictionis est, &c.* vnde satis apparet, nullam potentiam Simpliciter, cuiusmodi est omnis potentia naturalis, esse ad actum simpliciter incorruptibilem: modo potentia, quam ponunt sacri Theologi rectissime in anima rationali post mortem hominis ad corpus denuo subeundum in vltima die iudicij vniuersalis, est ad actum, & finem simpliciter incorruptibilem; etenim siue sumas actum vnionis animæ cum corpore, is erit omnino indissolubilis; siue sumas hominem de nouo constitutum in resurrectione, quilibet resurget immortalis ad vitam perennem aut felicem in gloria, aut infelicem in perpetua miseria: igitur quæ reperitur in anima post hominis obitum a corpore separata propensio ad corpus denuo subeundum, non est potentia naturalis, & physica, sed vt diximus, logica, moralis, & obedientiæ, ac omnino supernaturalis.

[e] 2. de an. t. 11. 21. 22. 2. de gen. an. cap. 3.
[f] 3. de an. t. 20.
[g] 1. phy. t. 82.
[h] lib. 1. ca. 28. 30. 33. & seqq.
[i] lib. 2. c. 1. 6. lib. 2. ca. 4. & lib. 4. cap. 6.
[k] 9. meta. t. 17.

V.

Quinta ratio sumitur ex eo, quod forma non appetit materiam. Cap. XI.

PRæterea vero potentia naturalis omnis est habitudo quędam physica, secundum quam materia formam appetit; non autem secundum quam vicissim forma materiam appetit vllo modo: quippe quilibet appetitus ad [a] bonum tendit, & ad appetibilis consecutionem; rationem autem boni, & appetibilis obtinet forma semper erga materiam, rationem vero non boni & appetentis habet materia semper erga formam, nunquam autem viceuersa; quod aperte nos edocet Aristoteles inquiens, [b] *Existente enim quodam diuino, & bono, & appetibili; aliud quidem contrarium ipsi dicimus esse; aliud autem, quod natura aptum est appetere, & desiderare ipsum secundum suam ipsius naturam: Quibusdam autem accidit contrarium appetere suam ipsius corruptionem: attamen neque ipsum suam ipsius possibile est appetere formam, propterea quod non est indigens; neque contrarium; corruptiua enim sunt sui inuicem contraria: sed hoc est materia, sicut si femina masculum, & turpe pulchrum; verum non per se turpe, sed secundum accidens; neque femina, sed secundum accidens.* Si ergo priuatio formam non appetit appetitu physico, qui naturalis est potentia, & physica propensio ac inclinatio; quia, quum aduentu formæ priuatio illi cõtraria [c] corrumpatur (vt mox decernit Aristoteles) aliquid appeteret naturaliter sui destructionem; quod est impossibile: Sique forma seipsam non appetit, quia seipsa non indiget; quum appetitus sit boni comparabilis absentis: Pari sane ratione forma non appetit naturaliter materiam, quia nec forma rationem obtinet appetentis & perfectibilis erga materiam; nec materia rationem obtinet appetibilis & perficientis erga formam: & reuera cur hic Aristoteles probaturus a materia formam appeti, sat habuit ostendere, nec formam appetere seipsam, nec a priuatione formam appeti; & non vlterius probauit materiam a forma non appeti? quia hoc adeo notum esse vidit, materiam a forma non appeti; adeoque falsum, & absurdum esse cognouit, dicere materiã appeti a forma, vt silentio neglexerit id comprobare, quod ob summam rei euidentiam confirmationis non indiget. Sic

a 1. Ethic. c. 1.

b 1. phy. t. 81.

c 1. phy. t. 82.

igitur proprie naturali quodam appetitu materia sola formam appetit, ad eamque propensa est; non autem forma vicissim appetit materiam, nec ad illam obtinet naturalem potentiam, aut inclinationem: Quum itaque rationalis anima semper ad corpus se se habeat non nisi vt forma ad materiam, nunquam vt materies ad formam; semper vt perfectiuum ad perfectibile, ac vt pulchrum ad turpe, nunquam vt perfectibile ac turpe ad perfectiuum, & pulchrum: Dubio procul anima post mortem hominis a corpore separata nullo naturali appetitu desiderat rursus vniri corpori, nullamque physicam habet potentiam, propensionemque ad corpus denuo subeundum.

Sexta ratio nititur essentiali habitudine, quam habet alia materia ad aliam formam. Cap. XII.

Amplius perspicuis verbis Aristoteles eam ponit habitudinem inter formam & materiam, quod semper velit materiam esse ad formam, nunquam vero formam propendere ad materiam, ait enim, [a] *Amplius autem eorum, quæ ad aliquid, materia est: ad aliam enim formam alia materia.* Nimirum non ait Aristoteles hic materiam & formam esse relatiua sibi inuicem mutuo, vt duplum & dimidium, dominus & seruus, pater & filius, quorum alterutrum ad alterutrum similiter refertur; sed solam materiam ait esse ad aliquid, quoniam ad aliam formam alia materia est, nec vicissim necessario forma sic est ad aliquid, vt necessario ad aliam materiam alia forma sit; si quidem materia est ipsius formæ, at vicissim forma non est ipsius materiæ; quod infra satis aperit [b] Aristoteles, dum comparans has duas caussas ad inuicem, & agens de forma sub nomine finis, cum quo ipsam coincidere prius [c] admonuerat, inquit [d] *Et vtraque quidem Physico dicendæ sunt caussæ, magis autem ea, cuius gratia: caussa enim hæc materiæ est, sed non hæc ipsius finis.* Est autem hæc relatio, qua non-reciproca materia refertur ad formam, non quidem illa ferme logica, & propemodum intentionalis, quam Scholæ nuncupant *secundum [e] dici*, sed altera realis, & physica, quam vocant *secundum esse* cum Aristotele; qui non ait [f] hic materiam *dici*, sed *esse* ad aliquid: immo vero non est hæc habitudo

a 2. Phy. t. 26.
b 2. phy. t. 91.
c 2. phy t. 71.
d 2. phy. t. 91.
e Præd. Ad aliq.
f 1. phy. t. 26

habitudo materiæ ad formam relatio quædam accidentalis, vt domini & serui, dupli & dimidij; quia materia non est in genere vllius accidentis, neque in vllo prædicamento, decretis Aristotelis; g cui materia non est quid, non quale, non quantum, nec aliquid eorum, quibus determinatur ens prædicamentale, neque negationes horum; sed est quid transcendens; & propterea materiæ habitudo ad formam est relatio essentiæ, relatio transcendentalis physica: sic igitur optime scribitur Aristoteli, h *Amplius autem eorum, quæ ad aliquid materia est*; *ad aliam enim formam alia materia*: & ita materia est ipsius formæ, vt i non sit necessarium formam esse ipsius materiæ; nec vere dici potest absolute ad aliam materiam semper esse aliam formam: formamque habere relationem essentialem ad materiam: Modo rationalis anima comparatione facta cum corpore semper habet rationem formæ, corpus autem materiæ: rationalis igitur anima separata per mortem hominis a corpore non habet naturalem potentiam, physicamque relationem, ac propensionem ad corpus.

g 7. meta. t. 8.

h 2. phy. t. 26.

i 2. phy. t. 91.

VI.

Septima ratio colligitur ex eo, quod anima separata per mortem a corpore non est considerationis physicæ. Cap. XIII.

CEterum ex eodem Aristotelis loco, & aliis illi consentientibus propositi rationem aliam colligere possumus ita, Potentia naturalis omnis, & subiectum ea praeditum proprie ac per se pertinet ad considerationem Physicę Scientiæ: Modo considerare rationalem animam post hominis interitum a corpore separatam non est officium Naturalis Philosophiæ, sed solius Metaphysicæ, vt ait Aristoteles, dum determinat, quousque Physicus teneatur considerare formam, inquiens, a *Quousque ergo Physicum oportet cognoscere formam, & ipsum quid est? An quemadmodum Medicum neruum, aut fabrum æs, vsque ad aliquid; alicuius enim gratia vnumquodque; & circa ea, quæ sunt, separabilia quidem forma, in materia autem: homo enim hominem generat, & Sol: quomodo autem se habeat hoc separabilis, & quid sit, Philosophiæ Primæ est officium determinare.* Quem locum (a nobis explicatum diligenter in opere De b Ortu Animæ humanæ, & in volu-

a 2. phy. t. 26.

b lib. 1. c. 49.

lib. 2. cap. 3 1. de part. cap. 1. 1. de an. t. 17. mine De c Immortalitate Rationalis Animæ) confirmat & illuſtrat Ariſtoteles alibi non ſemel, tum vbi ſcribit, d *Ad hac rem a materia abſtractam nullam poteſt ſcientia Naturalis contemplari:* tum vbi dicit, e *Sed Naturalis circa omnes, quæcumque talis corporis, & huiuſmodi materia operationes, & paſſiones ſunt: circa quaſcumq; autem, qua non ſunt huiuſmodi, alius.* & mox. *Secundum autem quod ſeparatæ, Primus Philoſophus.* Sic igitur anima rationalis poſt hominis obitum a corpore ſeparata non eſt conſiderationis Phyſicæ, ſed eam contemplari pertinet ad ſolum Metaphyſicum: At vero potentia naturalis omnis, & omne potentiam naturalem in ſe habens eſt conſiderationis Phyſicæ, non ad ſolum attinet Primum Philoſophum: ergo rationalis anima poſt interitum mortalium a corpore ſeparata non habet in ſe potentiam vllam naturalem ad corpus denuo ſubeundum. VII

Octaua rationis fundamentum eſt, Animam ſeparatam non eſſe naturam, ſine qua non eſt vlla potentia naturalis. Cap. *XIV.*

VLterius autem propoſitum dogma ſatis ea ratione confirmari poteſt, quia Potentia naturalis omnis eſt a Natura; non enim alia ratione naturalis eſt, & cognominatur, niſi quoniam eſt a natura; vt docuit a Ariſtoteles: At vero rationalis anima poſt mortem hominis a corpore ſeparata non eſt Natura; quod & perſpicuis verbis Ariſtoteles docuit, & ratio demonſtrat: Ariſtoteles quidem alicubi ſcribens in hanc ſententiam, b *An non omnis anima principium motus eſt; neque partibus animæ omnibus id tribui debet; ſed augendi principium idem putandum, quod & in plantis eſt; alterandi vero eamdem, quam ſentiendi; deferendi autem aliud quiddam, non vim intelligendi; delationem enim vel in ceteris animalibus nouimus, intellectum ſiue mentem, in nullis: Conſtat igitur non de anima diſſerere omni oportere, quandoquidem non anima omnis natura eſt, ſed aliqua eius pars vna, aut etiam plures:* Et reuera rationalem animam a corpore ſeparatam non eſſe naturam, duplex ratio conuincit apud Ariſtotelem; vna quidem eſt, quia Naturæ tota ratio & quidditas in duobus conſiſtit attributis, vt conſtituat in eſſe compoſitum naturale, ac vt ſit

a 2. phy. t. 5.

b 1. de part. cap. 1.

princi-

principium motus; quæ late constant ex Aristotele tum definiente [c] Naturam esse principium primum motus & quietis per se in quo est non secundum accidens: tum ostendente formam esse magis [d] naturam quam sit materia, quia forma constituit in esse res naturales actu, dum præsens est; materia vero non item, sed potentia solum: quum itaque rationalis anima post mortem a corpore separata non constituat vllum compositum naturale; nec vllius motus principium sit; iam anima rationalis post hominis obitum a corpore separata nón est natura. Alia vero ratio probans id ipsum ea est, quoniam omnis natura vel est subiectum, vel in subiecto, decretis Aristotelis, cui [e] *Subiectum enim quoddam, & in subiecto est natura semper:* subiecti siquidem nomine materiam designat, quę pars est compositi naturalis: quum igitur Anima rationalis post hominis interitum non sit subiectum tale, quod materia dicitur, & pars compositi naturalis; neque sit in subiecto;
VIII sed substantia quædam sit incorporea per se subsistens; iam certo certius est, Animam rationalem interuentu mortis a corpore separatam non esse Naturam; proindeque non habere potentiam naturalem ad corpus denuo subeundum; quum potentia naturalis omnis, omnisque physica propensio sit a Natura proprie dicta.

c 2. phy. t. 3.

d 2. phy. t. 12.

e 2. phy. t. 4.

Nona ratio propositi deducitur ex eo, quod omnis potentia naturalis est gratia finis alicuius per generationem comparabilis; qui finis non est in separatis a materia. Cap. XV.

POsterius autem, Animam rationalem gladio mortis a corpore separatam carere potentia naturali ad corpus iterum subeundum, ea ratione confirmari potest, quod omnis
IX. potentia naturalis est gratia cuiusdam actus, qui per generationem a natura produci valet: sed in anima post hominis obitum a corpore separata, vt in quibuslibet alijs substantijs a materia seiunctis, non habet locum huiuscemodi caussa finalis, quæ generationis terminus ac finis est; quippe generationis omnis principium atque subiectum est materia; definiuit enim Materiam [a] Aristoteles esse primum subiectum, ex quo inexistente per se fit quodcumque producitur: ergo

a 1. phy. t. 82.

ratio-

rationalis anima post hominis interitum a corpore separata non habet vllam potentiam naturalem ad corpus denuo subeundum. Certe rationem hanc vniuersam nobis Aristoteles ipse subministrauit, afferens alicubi,[b] *Ad hac rem a materia abstractam nullam potest scientia Naturalis contemplari: quum Natura rei alicuius gratia faciat omnia: rebus autem abstractis abiunctum id est, quod sub hoc, cuius gratia, verbo intelligimus;* vnde colligi vult, ad Naturalem Philosophum non attinere pertractare de omni anima; quia non de rationali: Sic igitur anima rationalis a corpore materiali prorsus abstracta post hominis obitum non habet vllam potentiam naturalem ad corpus, qua physice propendeat, aut dirigatur in hominem denuo producendum, & constituendum; tanquam in finem.

b 1. de part. cap. 1.

Decima ratio colligitur ex eo, quod omnis naturalis potentia reducitur ad actum per motum eius, in quo talis inest potentia: quum anima separata sit immobilis omnino decretis Aristotelis. Cap. XVI.

AD hæc, animæ rationali demortui mortalis a corpore separatæ nullam inesse potentiam naturalem ad corpus iterum subeundum, ea ratione confirmatur, quia potentia naturalis omnis reducitur ad actum per motum, & per motum eius, in quo talis potentia inesse dicitur; vt constat ex Aristotele scribente in hanc sententiam,[a] *Hoc autem possibile est, cui si illius insit actus, cuius potentiam habere dicitur, nihil impossibile erit: dico autem vt si possibile sedere est, vt sedere contingit, huic si extiterit ipsum sedere, nihil impossibile erit; & si moueri quicquam, aut mouere, aut stare, aut sisti, aut esse, aut fieri, aut non esse, aut non fieri, similiter: Nomen vero actus, qui ad perfectionem annectitur, aduenit etiam in aliis, maxime ex motibus; videtur etenim maxime motus actus esse; Quare non entibus non attribuunt ipsum moueri.* Sic igitur omnis potentia naturalis reducitur ad actum per motum eius, in quo talis potentia ponitur; nec inde sequitur vllum impossibile: Ceterum anima rationalis post obitum hominis a corpore separata non est vlla ratione mobilis; quum Aristoteli motus sit affectio[b] corporis, & non fiat sine naturali[c] corpore; animaque sit[d] immobilis per se; tantumque per accidens[e] mobilis,

a 9. meta. t. 7.

b 1. phy. t. 1.
c 1. cal. t. 99.
d 7. phy. t. 20
e 1. de an. t. 61 & seqq.

X.

bilis, dum inest in corpore; sed extra corpus existens omnino sit immobilis, tam per se, quam per accidens; ac penitus immobilis, vt ait f Aristoteles: colligendum igitur est necessario, rationalem animam a corpore post hominis interitum separatam non habere potentiam naturalem vllam ad corpus denuo subeundum. Sane motum non conuenire vllo pacto animæ rationali post hominis obitum a corpore separatæ, constat ex Aristotele satis, qui vel eam in corpore degentem eximit ab g imperfectione motus, ab ea remouens tum generationem, asserens Intellectum humanum h innasci, & esse i antiquissimum: tum corruptionem, inquiens ac probans k eumdem nō corrumpi, & esse l separabilem, tanquam æternum m a corruptibili; tum alterationem, scribens, n *Neque in intellectiua parte animæ est alteratio*: tum augmentum, & decrementum, constituens augeri & minui corpus animatum, non autem o animam; tum etiam motum localem, dicens, p *Præterea quoniam videtur mouere corpus, rationabile est ijs motibus, quibus & ipsa mouetur: si autem hoc, & conuertentibus est dicere verum, quod secundum quem corpus mouetur, eo & ipsa; corpus autem mouetur secundum lationem; quare anima mouebitur sicut corpus, aut tota, aut secundum partes translata: si autem hoc, & egressam iterum ingredi continget: ad hoc autem sequetur, vt resurgant mortua animalium*: tum denique motum penitus omnem, id ex superioribus colligens ita, q *Quod igitur non sit possibile moueri animam, manifestum ex his: si autem penitus non mouetur, manifestum quod neque a seipsa.* Quum itaque naturalis potentia non redigatur ad actum nisi per motum eius, in quo talis inest potentia: quumque rationalis anima separata sit penitus immobilis Aristoteli, præsertimque motu physico, quem solum postulat physica potentia; plane certum est, fieri non posse vt in anima rationali post hominis interitum a corpore separata naturalis insit vlla potentia ad corpus denuo subeundum, & animandum.

f 1. de an. t. 66.
g 2. phy. t. 15. 8. phy. t. 40
h 1. de an. t 65
i 1. de an. 82.
k 1 de an. t 65
l 2. de an. t. 11
m 3. de an. t. 7 2. de an. t. 21.
n 7. phy. t. 20.
o 1. de gen. t. 35. 36. 2. de an. t. 49.
p 1. de an. t. 41
q 1. de an. t 66.

Vndecima ratio desumitur ex eo, quia non est homo, qui valeat eiusmodi potentiam ad actum deducere. Cap. XVII.

ADijciendum his est, Aristotelem probaturum omnem potentiam naturalem secundum tempus esse posteriorem.

rem actu, hoc vti fundamento, quod omnis potentia naturalis præsupponit actum, a quo deducatur in actum consimilem in eadem specie; scribit enim, [a] *Tempore autem prius sic; quod idem specie agit prius, numero vero non: dico autem hoc, quod eo quidem homine, qui actu iam est, & frumento, & vidente prior tempore materia, & semen, & visiuum est, quæ potentia quidem homo, & frumentum, & videns sunt; actu vero nondum: sed his alia tempore priora actu existentia, e quibus hæc facta fuerunt: semper etenim ex eo, quod potentia est, fit actu ens ab actu existente, vt homo ex homine, musicus ex musico, semper aliquo primo mouente; mouens autem actu iam est.* [b] *Dictum est autem in sermonibus de substantia, quod omne quod fit, ex aliquo, aliquid, & ab aliquo fit; & hoc specie idem*. Ex quibus aperte colligitur, non solum omnem potentiam naturalem deduci ad actum ab habente actum eiusdem speciei; sed speciatim quod est naturali potentia homo, fieri actu hominem ab homine actu: Si ergo in anima rationali reperiretur naturalis potentia ad corpus denuo subeundum, & ad hominem denuo constituendum, vbi fuerit a corpore separata per hominis interitum; quum illa reunione, vt ita loquar, animæ rationalis cum corpore constituatur iterum homo: iam esset physice potentia homo; adeoque deberet hic homo denuo fieri ab homine eiusdem speciei; & homo deberet esse, qui mortuum suscitare posset ad vitam: quod quum ab omni ratione sit alienum, ac penitus impossibile; propterea constituendum est, in anima rationali post hominis obitum a corpore separata non inesse naturalem propensionem ad corpus denuo subeundum, non inesse naturalem potentiam ad corpus iterum assumendum. IX.

a 9. meta. t. 13

b 9. meta. t. 14

Duodecima ratio ducitur ex eo, quia rationali animæ separatæ nihil boni physice prouenire potest ex noua coniunctione cum corpore. Cap. XVIII.

NEc omittendum est, Appetitum naturalem omnem esse gratia boni cuiuspiam physice consequendi, vel mali fugiendi; naturalemque potentiam omnem esse ad aliquam perfectionem, ita vt id, ad quod potentia physica refertur, ad eam se habeat vt [a] appetibile bonum, adeoq; [b] finis; quod

a 1. Phy. t. 80.

b 3. de an. t. 54.

quod afferit Aristoteles: Quum autem anima rationalis post hominis obitum a corpore separata nihil boni sibi comparare physice valeat ex commercio ac iterato coniugio cum corpore; neque se habeat ad corpus denuo subeundum tanquam ad appetibile bonum; sed potius a corporis contagione vicissim multas acquirat contrahatque labea & imperfectiones: iam necessarium est confiteri, rationalem animam per obitum hominis a corpore seiunctam non habere potentiam naturalem vllam ad corpus iterum animandum. Porro rationalem animam post hominis interitum a corpore separatam non se habere ad corpus iterum assumendum tanquam ad appetibile bonum, atque ad finem, clare nos docuit Aristoteles asserens; c formam esse appetibile bonum, & finem materiæ; non autem materiam d esse finem & bonum formæ; quum anima rationalis ad corpus se habeat vt e forma ad materiam. Consimiliter animam rationalem post hominis obitum a corpore separatam non posse sibi comparare physice bonum vllum ex iterata coniunctione cum corpore, perspicuis verbis asseruit Aristoteles inquiens, tum f melius esse humano intellectui non cum corpore esse: tum Intellectum humanum non g bene se habere, dum inest in corpore pars compositi; sed optime se habere, dum extra corpus degit: Id ipsum apertissime conuincit ratio; quoniam anima separata est immobilis, & impassibilis physice; quæ iuncta corpori mobilis, & passibilis euadit quoquo pacto. Sed hac de re latius agimus in volumine de Immortalitate h Animorum.

c 1. phy. t. 81.
d 2. phy. t. 91.
e 2. de an. t. 4. & 5.
f 1. de an. t. 49
g 12. meta. t. 51.
h lib. 3. cap. 6.

Decima tertia ratio promitur ex eo, quod forma separata non habet naturalem potentiam patiendi. Cap. XIX.

VErum & ea ratione quoque probare possumus ad aures Aristotelis, & ex rei natura, rationalem animam a corpore demortui separatam non habere naturalem potentiam ad corpus iterum subeundum; quia quum decreto Philosophi, si foret caliditas separata, iam ea esset impassibilis; ait enim, *a Forma autem, & fines habitus quidem sunt: materia autem, secundum quod materia, passiuum: ignis igitur habet in materia caliditatem: si autem aliqua esset separata caliditas, hac nihil vtique pateretur;* adeoque corpori, ac materiæ reuniri non

a 1. de gen. t. 55.

posset; quoniam in tali reunione pateretur aliquid ab agente ipsam materiæ reconiungente, consocianteque. Si ergo separata caliditas non posset materiei rursum copulari; proindeque non haberet naturalem potentiam ad corpus ignis denuo subeundum; quia talis potentia est passiua; & omnis potentia passiua naturalis est a materia; nobilem hinc rationem propositi contexere possumus ita, Nulla res a materia separata potest in se habere naturalem potentiam passiuam; quoniam omnis huiusmodi potentia est a materia: sed potentia naturalis formæ ad materiam denuo subeundam est potentia passiua: igitur anima rationalis post obitum hominis a corpore materiali separata nullam in se naturalem potentiam habet ad corpus denuo subeundum. XIII

Decima quarta ratio elicitur ex eo, quod potentia quauis physica reduci debet ad actum per motum naturalem factum in materia disposita; quas conditiones non habet anima separata, neque corpus, cui reunitur. Cap. XX.

INsuper omnis potentia naturalis reducitur ad actum per motum physicum in materia disposita, doctore Magistro, XIV
a 3. phy. t. 6. tum definiente [a] motum esse actum entis in potentia quatenus in potentia; declaranteque talem definitionem de potentia passiua in mobili: tum decernente singulos actus fieri solum in materia disposita, dum ait, [b] *Vniuscuiusque enim actus in eo, quod potentia existit, & in propria materia aptus natura est fieri;* quæ propria materia dicitur quoniam habeat præuias dispositiones ad illum actum; quod prius admonuerat Aristoteles inquiens, [c] *videtur enim in patiente, & disposito actiuorum inesse actus*: Modo actus vnionis secundæ corporis & animæ separatæ factus ab eo agente, qui mortuos ad vitam reuocat, habet pro materia mobili ac vnibili secundo corpus & animam rationalem, quorum neutrum habet physicas dispositiones ad formam reunionis huiusmodi; igitur anima post interitum hominis a corpore separata non habet in se naturalem potentiam ad corpus iterum subeundum, adeoque ad hoc vt secundo copuletur cum corpore in hominem denuo viuentem. Quod quidem materia resurrectionis non habeat

b 2. de an. t. 26.

c 2. de an. t. 24.

habeat naturales dispositiones ad actum reunionis, probatur ex eo, quod duæ sunt principales dispositiones materiæ ad motum quemlibet subeundum; altera quidem est, quod materia sit passibilis; nam motus est passio mobilis, vt clare nos docuit Aristoteles inquiens, [d] mobile in motu pati ab agente motore; & paullo prius, [e] *Mouetur autem & mouens, sicut dictum est, quum sit potentia mobile, & cuius immobilitas quies est: nam ad hoc agere, quatenus huiusmodi, id ipsum mouere est; hoc autem facit tactu: quare simul & patitur: iccirco motus est actus mobilis, quatenus mobile existit.* [f] *Accidit autem hoc tactu motiui: quare simul & patitur.* Altera vero dispositio materiæ ad motum est, vt sit præparata ad recipiendum in se formam illam, quam quilibet motus affert in mobili: quod immediate subdit Aristoteles inquiens, [g] *Formam autem semper afferet aliquam id, quod mouet, aut hanc, aut talem, aut tantam; quæ principium, atque caussa motus erit, quum moueatur; vt actu homo facit ex eo, quod potentia existit homo, hominem.* Modo rationalis anima post mortem hominis a corpore separata non habet primam dispositionem reunioni necessariam; quum sit immobilis & impassibilis; vt [h] supra demonstrauimus ex [i] Aristotele; ac ea ratione, quoniam omnis passio est a materia; quæ nulla inest, aut copulatur cum anima separata. Corpus item, cum quo rationalis anima reuniri debet in actu resurrectionis, non habet illas dispositiones physicas, quibus præuijs apparari possit ad animam rationalem in se denuo recipiendam; etenim tales dispositiones Aristoteles [k] determinauit esse præcedentem in corpore vegetalem, & sentientem animam; siue hæ aduentu rationalis de subiecto cadant, vt multi rentur; siue potius in eo cum ipsa iungantur in vnam totam & integram animam humanam; vt ego quidem arbitror, & late confirmaui dudum in opere [l] De Ortu animæ humanæ. Sic igitur, quum corpus ad actum resurrectionis non præsupponatur dispositum per animam vegetalem, & sensitricem præcedentes animæ rationali rursum sibi copulandæ in formam hominis constitutricem: plane necessarium est confiteri nec animam separatam post mortem, nec etiam corpus eam secunda vice recepturum habere physicas dispositiones ad actum huiusmodi reunionis: adeoque, quum omnis potentia naturalis necessario reducatur ad actum per mu-

d 3. phy. t. 19.
e 3. phy. t. 16.
f tex. 17.
g loc. cit.
h cap. 16. & cap. 19.
i 1. de an. t. 65 66. 3 de an. t. 3
k 2. de gen. an. cap. 3.
l lib. 2. cap. 1. & seqq.

rationem factam in materia, & patiente disposito; nullam penitus inesse potentiam naturalem in anima demortui a corpore separata ad corpus iterum subeundum, sed solum supernaturalem, moralem, & logicam; vt [m] antea vidimus.

m ca.4.5.6.

Decimaquinta ratio desumitur ex eo, quia nec materia potentiam naturalem vllam amplius habet ad formam corruptam, a qua semel separata fuerit. Cap. XXI.

VErum & illud in proposito maximi momenti censetur, quod ita plane se se habet anima rationalis post mortem hominis a corpore separata ad corpus denuo subeundum siue ad actum reunionis resurrectionisque; sicuti se se habet materia post corruptionem compositi ad formam, quæ desijt esse, denuo subeundam; nam & corpus defuncti desijt esse, corruptum, ac resolutum in elementa, mutatumque prorsus in corpus aliud speciei diuersæ: & anima rationalis ab Aristotele passim materiæ comparatur, tum vbi ait, [a] agens de parte animæ humanæ intellectiua, quam solam esse a corpore [b] separabilem tanquam æternum a corruptibili monuerat, & repetet, [c] vbi ait inquam, [d] *Impassibilem ergo oportet esse, susceptiuam autem formæ, & potentia huiusmodi.* tum vbi colligit, [e] *Quare neque ipsius vlla est natura, nisi hæc, quod possibilis. Qui igitur vocatur animæ intellectus; dico autem intellectum, quo intelligit, & existimat anima; nihil est actu eorum, quæ sunt, antequam intelligat.* Quum materiam Aristoteles definiat esse [f] potentiam, seu habere suam essentiam innixam potentia; [g] & constituat materiam esse non quid, non quale, non quantum, nec [h] aliquid eorum, quibus determinatur ens: tum vbi statuit, [i] *Quoniam autem sicut in omni natura est aliquid, hoc quidem materia vnicuique generi; id autem est, quod potentia omnia illa: alterum autem caussa, & factiuum, quod faciendo omnia; quod Ars ad materiam passa est: necesse & in anima has existere differentias.* [k] *Et est quidam intellectus, quia omnia fit; quidam vero, quia omnia facit, vt habitus quidam, quale est lumen.* Quæ loca fusius explicauimus in opere De [l] Intellectu agente, ac in volumine De [m] Immortalitate rationalis animæ; probauimusque, repugnante nemine, Magistrum aptissime comparare materiam tum rerum naturalium, tum etiam

a 3. de an. t. 2.
b 2. de an. t. 21.
c 3. de an. t. 20.
d 3. de an. t. 3.
e 3. de an. t. 5.
f 2. de an. t. 2.
g 1. phy. t. 82.
h 7. meta. t. 8
i 3. de an. t. 17.
k tex. 18.
l lib. 5. cap. 2. & seqq.
m lib. 3. c. 100

etiam artificiosarum cum intellectu possibili, qui est animæ nostræ portio rationalis: vt iam nemini dubium esse debeat, Animam rationalem aptissima proportione correspondere materiæ generatim, sed potissime rerum naturalium: & ratio id comprobat in proposito, quia in actu resurrectionis reunionisque corpus & anima sunt materia, in quam operatur agens excitans mortuos; & animam, atque corpus essentias a seinuicem separatas in vnum hominem corporeum denuo coniungens; adeoque rationalis anima non minus atque corpus est materia susceptrix ab agente Deo formæ reunionis. Ceterum quum vnicuique compertissimum sit, materiam habere naturalem potentiam ad formas omnes, quas nondum susceperit; notissimum est vicissim materiei nullam inesse naturalem potentiam ad resumendas iterum formas corruptas, a quibus per compositi dissolutionem separata fuerit: secus enim frustra foret illa potentia physica, quæ nunquam physice reduci potest ad actum; quum Deus & natura nihil frustra *n* faciant, Aristotele doctore: igitur Anima rationalis post hominis obitum a corpore separata non habet vllam potentiam naturalem ad corpus denuo subeundum. n 1. cœl. t. 32.

Decimasexta ratio promitur ex eo, quod resurrectio non est physice possibilis. Cap. XXII.

XVI. DEin vero potentia naturalis omnis est ad actum physice possibilem; quatenus enim potentia est, eatenus ad actum possibilem est; quatenus vero naturalis est, eatenus ad actum naturalem est; quum essentia potentiæ tota constituta sit in relatione ad actum; & idea, formalitasque potentiæ pendeat vniuersa ex idea & formalitate actus ad quem refertur: immo vero quum potentia referatur ad actum suum, velut ad sui *a* complementum, ac *b* finem, qui est appetibile bonum; & Aristotelis decretis *c* Iustum sit omnia appellare a fine; iam certum est potentiam naturalem omnem esse ad actum naturaliter possibilem: Atuero actus reunionis animæ cum corpore, adeoque actus resurrectionis mortuorum non est physice possibilis; vt colligitur ex Aristotele, *d* colligente id tanquam impossibile penitus Naturæ viribus; verum supergreditur omnes Naturæ limites, superatque

a 2. de an. t. 57.
b 1. phy. t. 81.
3. de an. t. 54.
c 2. de an. t. 49.
d 1. de an. t. 41.

ratque prorſus omnes Naturæ vires; quicquid in oppoſitum irrito conatu tentauerit Athenagoras Athenienſis Philoſophus priſcus oſtendere ſuo libello. Rationalis igitur animæ defuncti a corpore ſeparata non habet in ſe naturalem potentiam vllam ad corpus denuo ſubeundum, non habet in ſe phyſicam inclinationem vllam ad corpus iterum aſſumendum.

Decima ſeptima ratio deſumitur ex eo, quod vnio ſecunda rationalis animæ ſeparatæ cum corpore non poteſt reduci ad actum ab agente phyſico, nec ab agente phyſice. Cap. XXIII.

POſtea quum omnis potentia paſſiua redigatur ad actum ab aliqua cauſſa efficiente, quæ Mouentis nomine nuncupatur; certe vt potentia ad ſubeundas formas artificioſas reducitur ad actum ab Artifice; potentia ſupranaturalis ad ſubeundam gratiam, & gloriam reducitur ad actum ab agente ſupranaturali Deo ſupernaturaliter agente; ſic plane potentia naturalis reduci debet ad actum ab agente naturali, vel ſaltem naturaliter agente: Quemadmodum autem potentia rationalis animæ prius nondum corpori ſociatæ reducitur ad actum in hominis phyſica generatione, ſi non a naturali & phyſico agente, cuiuſmodi eſt parens homo generans, vt ait Ariſtoteles, eam non ex parentibus mediante ſemine, ſed foriſecus [a] embrioni aduenire ſtatuens; ſaltem a Summo Deo infunditur, & coniungitur organizato fætui; qua quidem in functione Deus etſi non eſt mouens phyſicum, eſt tamen mouens [b] phyſice, decreto Philoſophi, vt pote conciliians animam corpori ad eam naturaliter diſpoſitæ a parentibus: ſique non eſt agens naturale, tamen eſt agens Natura, vt late diſcuſſimus in opere De [c] Natura Primo-Mouẽte nuper in me vulgato: ſic plane quum anima rationalis per hominis interitũ a corpore ſeparata nõ poſſit ab vllo agente phyſico, nec ab vllo agente phyſice rurſus vniri corpori, ſed ſolũ ab agente ſupernaturali Deo, & ab agente ſupernaturaliter virtute diuina, licet homini, vel Angelo vtcumque communicata; qui enim mortuos excitarunt ad vitam aliquando Sancti viri, tale quid effecerunt non virtute propria, ſed vt inſtrumenta, & Miniſtri Diuinæ poteſtatis ſibi ſupernaturaliter communicatæ:

a 2. de gen. an. cap. 3.

b 2. phy. t. 73.

c lib. 1. cap. 8.

nicatæ; iam certissime constare debet, in anima rationali post hominis obitum a corpore separata non inesse potentiam vllam naturalem ad corpus denuo subeundum, sed solum [d] obedientialem, quæ supranaturalis est, ac diuino-politicam, siue [e] moralem, nec non etiam [f] logicam; vt antea notauimus. d cap. 4. e cap. 5. f cap. 6.

Decima octaua ratio petitur ex eo, quod iustum est omnia appellare a fine, ac speciatim potentiam denominari ab actu, ad quem refertur. Cap. XXIV.

xviii NEc omittendum est, Aristotelis decreto, [a] Iustum esse appellare omnia a fine: quum itaque finis terminans illam potentiam passiuam, quæ ponitur in anima rationali post mortem hominis a corpore separata, proprius & internus, sit ipsa reunio, vt ita loquar, animæ cum corpore, mortuique resurrectio: siue quum potentia quælibet passiua terminetur ad actum suũ velut ad finem sibi proprium; quumque proprius actus, ad quem intrinsece terminatur potentia illa passiua, quæ ponitur in anima rationali post hominis internecionem ad corpus denuo subeundum, nihil aliud sit, quam actus iteratæ vnionis animæ cum corpore, adeoque mortui resurrectio: procul dubio qualis erit eiusmodi vnio talis appellanda fuerit potentia passiua in anima tendens in eamdem vnionem: quum igitur mortuorum resurrectio, reunioque rationalis animæ cum corpore non sit actus naturalis, sed supernaturalis omnino; quum fieri nequeat vllis Naturæ viribus, sed solum supernaturali virtute Dei; nec fiat in materia corporis ad id physice dispositi, sed supernaturaliter aptati ad animam denuo suscipiendam: propterea similiter in anima rationali post mortem hominis a corpore separata non inest vlla potentia naturalis ad corpus denuo subeundum, sed tãtum supernaturalis, vt ostendimus antea. 12. de an. 49.

Decima nona ratio ducitur ex eo, quod in corpore defuncti non inest naturalis potentia ad animam denuo recipiendam. Cap. XXV.

xix INsuper autem eorum, quæcumque prius ab inuicem separata deinde coniunguntur in vnam essentiam ab aliquo

agente, consimiliter singulorum eadem est potentia passiua priusquam vniantur ad actum vnionis; quia talis actus illa singula respicit eodem modo prorsus; etsi simpliciter illa se se habeant adinuicem post vnionem vt forma & materia; nam ad actum vnionis comparata singula vnam habent rarionem materiæ vniendæ; siquidem & elementa priusquam a generante mistum copulentur in vnum, consimiliter singula sunt in [a] potentia naturali passiua eiusdem speciei ad actum mistionis, qui definitur ab Aristotele miscibilium alteratorum [b] vnio; licet in misto se se habeat ignis ad alia elementa, vt forma erga materiam, quod innuit [c] Aristoteles: iam necessario potentia passiua erit eiusdem omnino conditionis in anima rationali post hominis interitum a corpore separata ad actum reunionis, cum potentia passiua ad eundem actum reunionis, quæ potest esse in corpore demortui cum anima rursum coniungendo. Ceterum in corpore demortui nulla potest inesse potentia naturalis ad animam rationalem denuo suscipiendum; tum quia plerumque tale corpus non est amplius in rerum natura, sed corruptum abijt in elementa, & omnino in corpus diuersæ speciei; naturalis vero potentia quælibet quum sit ens reale, accidensque physicum, necessario nititur subiecto actu existente: tum quia cadauer non habet amplius physicas dispositiones ad animam rationalem, quibus nititur naturalis potentia determinate respiciens vnionem cum anima rationali; quod [d] antea probauimus: igitur in anima rationali pariter post sui separationem a corpore per mortis interuentum non inest vlla potentia naturalis ad corpus iterum subeundum.

a 1. *de gen. t.* 84. 89.
b 1. *de gen. t. t. vlt.*
c 2. *de gen. t.* 50.
d *cap.* 20.

Vigesima ratio depromitur ex eo, quod potentia & actus in eodem genere sunt. Cap. XXVI.

POsterius Aristoteles aliam nobis affert rationem eiusdem dogmatis confirmatricem, dum demonstraturus actum absolute priorem esse potestate, fundamentum hoc iacit; Actum in eodem esse genere, in quo potentia reperitur, inquiens, [a] *Quoniam autem quot modis dicatur prius, determinatum est, manifestum est quod actus prius potentia est: Dico autem non solum illa potentia definita, quæ dicitur principium transmuta-*

a 9. *meta. t.* 13

muta-

mutationem in alio, prout aliud est; sed prorsus omni motiuo, & statorio principio: etenim natura in eodem fit: in eodem enim genere cum ipsa potentia. Quod etsi dictum sit de potentia actiua, locum tamen habet etiam in potentia passiua; quod admonet Aristoteles in fine contextus eiusdem, quem continuans immediate subiungit, *Principium enim motiuum: non tamen in alio, sed in ipso, prout ipsum. Omni itaque tali prior est actus & ratione, & substantia: tempore vero quodam modo quidem est, quodam modo vero non: Quod autem ratione prior, patet; potens enim est, quod primo potest, propterea quod contingit operari; vt puta ædificatiuum, quod potest ædificare: & visiuum, quod potest videre; & visibile, quod potest videri: eadem autem de ceteris quoque ratio est: Quare necesse est vt ratio præcedat, & notitia notitiam. Tempore autem prius sic; quod idem specie agit prius, numero vero non: dico autem hoc, quod eo quidem homine, qui actu iam est, & frumento, & vidente prior tempore materia, & semen, & visiuum est, quæ potentia quidem homo, & frumentum, & videns sunt; actu vero nondum; sed his alia tempore priora actu existentia, e quibus hæc facta fuerunt: semper etenim ex eo, quod potentia est, fit actu ens ab actu existente, vt homo ex homine, musicus ex musico, semper aliquo primo mouente: mouens autem actu iam est.* Sic igitur potentia passiua est prior actu generando, & actus generatiuus est prior potentia passiua; & qua ratione probat Aristoteles actum actiuum esse priorem potentia passiua, quia sunt eiusdem generis, eadem plane ratione probatur potentiam passiuam esse priorem actu generando, quia sunt in eodem genere; nimirum hæc genere non differre ab inuicem, sed in eodem genere differre inter se secundum prius & posterius; vt apertius alibi nos docuit Aristoteles inquiens, [b] *Substantia enim vnum quoddam genus est; quare eo quod prius & posterius different solum ab inuicem principia, sed non genere; semper enim in vno genere contrarietas vna est omnes autem contrarietates reduci videntur ad vnam.* b 1. phy. t. 56

Nimirum potentia quatenus priuationem habet adiunctam contraria est actui; & vtrumque principium est mutationis; potentia quidem passiuum, actus autem actiuum; sic igitur actus & potentia sunt in eodem genere: quum autem certum sit naturalia genere distingui a nonnaturalibus; siue hæc supernaturalia sint, vt Diuina; siue infranaturalia, vt [c] artificiosa; c 2. phy. t. 2.

F

fictiosa; siue præter-naturalia, vt moralia, & politica: iam necessario statuendum est, tum potentiam naturalem esse ad actum naturalem; tum vicissim ad actum nonnaturalem esse potentiam pariter non-naturalem: & quando certum est ex Aristotele corruptibile ab incorruptibili distingui genere; scribit enim, non solum Animam rationalem a vegetali ac sensitrice differre genere, quia hæ sunt corruptibiles, hæc autem æterna, dum ait, d *De intellectu autem & speculatiua potentia nondum manifestum est; sed videtur genus aliud animæ esse; & hoc solum potest separari, sicut perpetuum a corruptibili:* græce namque legitur οὐδέπω, quod verti debuit, *nondum*; non autem *nihil adhuc*, vt vertit vulgata; & ἐνδέχεται, quod verti debuit, *potest*; vt optime notauit studiosissimus adolescens Daniel Iustinianus, meus discipulus; non autem *posse*, vt habet vulgata lectio, non bene a Boetho versa, quasi Magister scripsisset ἐνδέχεσθαι. verum etiam, dum infit, e *Quum vero contraria specie diuersa sint; corruptibile autem & incorruptibile contraria sunt (priuatio namque determinata impotentia) necesse est diuersum genere esse corruptibile & incorruptibile: Nunc quidem in ipsis vniuersalibus nominibus diximus: quare videbitur vtique non esse necesse quodcumque corruptibile & incorruptibile diuersa specie esse; quemadmodum nec album, & nigrum: idem enim contingit & simul esse, modo vniuersalium sit, sicut homo profecto esse possit & albus, & niger, tametsi album nigro contrarium sit. Verum contrariorum quædam secundum accidens quibusdam insunt, vt ea, quæ nunc dicta sunt, ac alia multa: quædam impossibile est; quorum est corruptibile, & incorruptibile: nihil enim secundum accidens corruptibile est; accidens namque contingit non esse; corruptibile vero eorum est, quæ necessario insunt his, quibus insunt: aut vnum & idem corruptibile, & incorruptibile erit, si contingit non inesse ei corruptibile. Aut substantiam igitur, aut in substantia cuique corruptibilium necesse est corruptibile esse: Eadem autem ratio de incorruptibili est; eorum enim ambo sunt, quæ necessario insunt: Prout igitur & secundum quod primum hoc quidem corruptibile, illud vero incorruptibile, oppositionem habent: quare necesse est genere diuersa esse. Manifestum itaque est, quod non contingit tales formas esse, quales quidam aiunt: erit namque & ipse homo hic quidem corruptibilis, ille vero incorruptibilis; quamuis forma* eadem

d de an. t. 21.

e . meta. t. 26..

eadem specie cum particularibus esse dicantur, & non æquiuoce: quæ vero genere diuersa sunt, plus distant, quam quæ specie. Ex quibus colligitur contraria in accidentum serie sola specie inter se dissidere in eodem genere; sed contraria essentialia distingui non sola specie, sed etiam genere inter se; ac huiusmodi esse corruptibile, & incorruptibile: vnde sic ratio recolligitur, Actus & potentia sunt in eodem genere; sed potentia naturalis aduentu sui actus esse desinens in subiecto, adeoque corruptibilis, est genere differens ab omni actu incorruptibili, proindeq; ab actu reunionis animæ cũ corpore, qui est actus indissolubilis: igitur in anima rationali post hominis obitum a corpore separata non inest vlla potentia naturalis ad subeundum denuo corpus. Si ergo potentia quæuis naturalis est in eodem genere cum actu, ad quem refertur; quum naturalia genere distinguantur a non-naturalibus, & corruptibilia dissolubiliaque ab incorruptibilibus & indissolubilibus: quumque certum sit actum reunionis animæ cum corpore non esse naturalem, sed esse indissolubilem, atque incorruptibilem; etenim late patet apud Theologos actum resurrectionis mortuorum non esse functionem physicam, sed supernaturalem; reunionemque animæ demortui cum corpore tam ad gloriam, quam ad pœnam in fine mundi præsentis fore penitus indissolubilem; quippe mortui resurgent omnes immortales ad vitam alij quidem felicitatis æternæ, alij vero perpetuæ calamitatis; propterea necessarium est confiteri, potentiam, quæ a Theologis inesse dicitur in anima rationali post mortem hominis a corpore separata, non esse vere naturalem, sed supra naturalem, adeoque prorsus ignotam Aristoteli, qui solum ea nouit, quæ sibi Naturæ lumen detegere potuit.

XX

Vigesima prima ratio sumitur ex eo, quod anima demortui non habet vllam potentiam physicam ad subeundum corpus, nec idem numero, nec aliud ab eo, vnde discessit. Cap. XXVII.

XXI. PRæterea, Si rationalis anima post hominis internecionem a corpore separata retineret in se potentiam naturalem ad corpus denuo subeundum, haberetque propensionem

nem vllam physicam ad corpus iterum indnendum: ergo talem physicam potentiam haberet anima vel ad idem numero corpus, e quo per mortem prius egressa fuit; vel ad aliud, atque diuersum: non quidem a Naturali Philosopho dici poterit anima separata retinere potentiam naturalem ad idē numero corpus, e quo per mortem egressa fuit, tum quia corpus illud corruptum est plerumque resolutum in elementa, nec amplius existens habetur præsens, cui rursus vniatur anima; nec viribus vllis Naturæ rursus produci potest;
a *Præd. c. de opp.* quæ a priuatione ad habitum nescit [a] regressum; omnis autem potentia naturalis respicit actum physice possibilem: tum quia corpus cadaueris non habet amplius dispositiones ad animam rationalem; quum actus actiuorum fiant naturaliter in patiente [b] disposito: tum quia physica potentia
b *2. de an. t. 24.* quæuis reducitur ad actum motu physico ab agente naturali, vel saltem naturaliter operante; nam omne mouens, etsi
c *2. Phy. t. 73.* non sit physicum, mouet tamen [c] physice, decretis Aristotelis: at vero mortuorum resurrectio, reunioque rationalis animæ cum corpore demortui, non est motus physicus, neque fieri potest ab agente physico, neque formaliter ab agente-physice; sed est mutatio quædam supernaturalis, quæ fieri potest solum a virtute Diuina supernaturaliter agente; licet aliquando etiam communicata mortalibus, vt Dei summi ministris in hoc opere: Proinde siquidem Aristoteles, qui naturales omnes mutationes vltro concedit, mortuorum re-
d *1. de an. t. 4* surrectionem aperte [d] negauit, quoniam eam naturalem esse non agnouit; immo vero quoniam eam naturalem non esse cognouit. Neque dicendum est ab homine Philosopho, præsertim Peripatetico, rationalem animam post hominis interitum a corpore separatam habere naturalem inclinationem, physicamque potentiam ad aliud corpus iterum subeundum, longe diuersum ab eo, e quo fuit egressa; tum
e *2. phy. t. 26.* quia vt ad aliam formam alia materia est: quod ait [e] Aristoteles, ita prorsus alia anima aliud corpus actuare nata est,
f *2. de an. t. 26* vnaquæque suum vnicum sibi proprium: etenim, vt admonet idem Magister, [f] *Vnicuiusque actus in eo quod potentia existit, & in propria materia aptus natura est fieri*: tum quia sic fieri posset naturaliter illa trāsmigratio rationalium animarum de vno corpore in aliud, a Pythagora primum inuecta,

& a Timæo Locro, necnon etiam a Platone deinde recepta; quam tamen inter fabulas procul a vero recte connumerat Aristoteles, dum reprobat illos antiquiores, qui de anima tractantes, nihil determinant de corpore susceptiuo peculiariter disposito ad animam in se recipiendam, g *Tanquam possibile sit, secundum Pythagoricas fabulas, quamlibet animam quodlibet corpus ingredi: similiter itaque dicunt, ac si quis dicat Tectonicam in fistulas ingredi; oportet enim artem quidem vti instrumentis; animam autem corpore: videtur enim vnum quodque propriam habere speciem, & formam.* Quum igitur anima rationalis a corpore per mortem abiuncta non habeat naturalem potentiam ad rursus induendum corpus pristinum, nec aliud vllum; propterea constituendum est, Animæ rationali post hominis interitum a corpore separatæ non inesse potentiam naturalem vllam ad corpus denuo subeundum. g 1. de an. t. 53.

Vigesima secunda ratio excutitur ex eo quod omnis potentia naturalis adiunctam habet imperfectionem, quæ abest ab anima separata. Cap. XXVIII.

Amplius autem Magister alicubi decernens Intellectricem animam post hominis interitum omni prorsus imperfectione carere; alibique docens cuique naturali potentiæ passiuæ coniunctam esse necessario priuationis imperfectionem; satis aperte demonstrat animæ rationali post hominis interitum a corpore separatæ nullam inesse potentiam naturalem passiuam ad corpus iterum subeundum; quæ ratio sic xxii. efformari poterit, Omnis potentia passiua naturalis adiunctam habet sibi necessario priuationem alicuius actus, adeoque determinatam imperfectionem: sed anima rationalis post hominis obitum a corpore separata nullam habet adiunctam sibi priuationem vllius perfectionis: igitur anima rationalis post hominis interitum a corpore seiuncta nullam habet adiunctam sibi naturalem potentiam passiuam ad corpus denuo subeundum. Porro naturalem potentiam omnem passiuam habere sibi coniunctam priuationem actus, & imperfectionem ex eo constat, quia potentia præcedit actum in eodem numero, vt ait a Aristoteles; & actus melior quid est atque b præstantior quam sit ipsa potentia: nemine non agnoscente

a 9. meta. t. 7. 12. meta. t. 32.
b 9. meta. t. 19

c 1. phy. t. 81. agnoscente priuationem actus esse quandam imperfectionem, ob quam materia dicitur c turpis, & feminæ comparatur; quæ per se neque turpis est, neque feminæ comparabilis, eodem doctore. Sed rationalem animam demortui a corpore separatam carere omni prorsus imperfectione naturali constat ex eo, quod tunc habet esse optimum; optimi vero nulla penitus est imperfectio; rationalis animæ separatæ conditionem ac naturam optimam esse, secus ac dum erat in corpore multiplicis particeps imperfectionis, edocet Aristoteles inquiens, d *An omne non habens materiam indiuisibile est, quemadmodum humanus intellectus, aut qui compositorum in aliquo tempore se habet: nam non bene esse habet in hoc, aut in hoc; verum in toto quoddam quod optimum est, aliud ab eo existens: sic autem ipsa sui ipsius intellectio per totum æternum se habet.* quibus aperte constituit, animam rationalem, quæ non bene esse habet, dum in corpore degit forma materiam actuans, ex cuius contagione multas contrahit imperfectionis; dumque moratur in homine composito pars componẽs: & separatã a corpore post hominis interitum, aliud existere in vniuerso quoddam integrum sui generis, ac optimum esse habere, sempiterna sui speculatione gaudentem: Quem locum fusius explicabimus e infra. Sic igitur anima non habet naturalem potentiam ad iterum subeundum corpus, vbi semel ab eo separata fuerit.

d 12. metaf. t. 51.

e lib. 2. cap. 3.

Vigesima tertia ratio hauritur ex eo, quod anima rationalis natura indifferens est ad habendum & non habendum corpus. Cap. XXIX.

a 2. phy. t. 26. VLterius autem id ipsum probatur ex eo, quod anima rationalis est essentiæ cuiusdam a mediæ inter formas omnino semper a materia separatas, & formas prorsum materiales in materia degentes ab ea penitus inseparabiles; & proinde sic ad corpus se habet, vt sit essentia quædam indifferens ad habendum, & non-habendum corpus; & æqualiter in potentia ad actuandum, & non-actuãdum corpus; quemadmodum materia dicitur indifferens ad habendam, & non-habendam quamcumque formam: Quum ergo per huiusmodi naturam indifferentem materia non semper habeat naturalem xxiii

turalem potentiam,& physicam inclinationem ad vnam formam vllam; sed anteaquam vni cuipiam formæ vniatur, ab æterno de mente [b] Philosophi potentiam naturalem habet, siue proximam,siue remotam ad eam suscipiendam; ast vbi semel eam in se receperit, habet naturalem potentiam ad eamdem in se retinendam [c] aliquando, nimirum ad certum tempus finitum; etenim Aristoteli materia quandoque existens subijcitur formæ ignis, quandoque formæ terræ, quandoque alteri:sed vbi materia separata fuerit ab vna quapiam forma peculiari per corruptionem compositi ab ea constituti, non amplius vnquam habet naturalem potentiam ad ipsam;sed illa caret penitus in æternum: Eadem prorsum ratione per consimilem indifferentiam, mediamque naturam intellectus humanus, animaque rationalis vt ab Aristotele materiei aliquo nomine [d] comparatur; ita ea de caussa similis est, quod anima rationalis corpori quandoque copulatur, & ab eo postea separatur; quum apud Aristotelem præcesserit ab æterno ante corpus [e] antiquissima, & perennet in æternum post dissolutionem corporis [f] perpetua; adeoque media inter formas a materia separatas omnino,& formas in materia semper immersas,per extremorum participationem; quoniam est aliquando a materia separata, & aliquando in materia degens; vt docuit Aristoteles tum vbi statuit [g] Animam rationalem esse formam in materia quidem, separabilem autem; & vt in materia degit, ad Physicum attinere; vt autem est separata, pertinere solum ad Metaphysicum: tum vbi scribit; [h] Melius esse intellectui humano non cum corpore esse: tum vbi repetit; [i] Intellectum humanum non bene se habere in hoc particulari corpore, vt eius forma; vel in hoc indiuiduo, vt eius pars componens & essentialis; ast optime se habere, dum aliud quid a corpore in vniuerso quoddam est integrum sui generis; in quo statu perfruitur æterna sui ipsius intellectione: Quemadmodum ergo materia suam ob naturam indifferentem ad habendam & non-habendam formam, non obtinet vllam potētiam naturalem ad formam vllam corruptam, a qua semel separata fuerit; ita rationalis anima propter eamdem naturam indifferentem ad habendum,& non-habendum corpus, non habet vllam naturalem potentiam ad corpus iterum suscipiendum, potissimum corru-

b 1.phy.t.82

c 1.de gen.t. 22.

d 3.de an.t.5. 17.18.

e 1.de an.t.82

f 2.de an.t.21

g 2.phy.t.26.

h 1. de an. t. 49.

i 12. meta. t. 51.

corruptum, siue a quo per hominis interitum semel egressa fuerit.

Vigesima quarta ratio ducitur ex eo, quod corpus abiecta iam anima non est in potentia ad vitam. Cap. XXX.

INsuper autem cum Aristotele dicere liceat in proposito,
a 1. phy. t. 26. [a] *Eorum, quæ ad aliquid materia est; ad aliam enim formam alia materia*: proindeque post mortem eodem se se modo prorsus habet corpus erga animam, quo anima erga corpus, quantum ad actum reunionis, quoad naturalem inclinationem; immo potius corpus naturalem deberet habere propensionem ad animam, a qua perfici posset; quam anima ad corpus, ex cuius contagione potius imperfectionem contra-
b cap. 18. hit; vt dudum [b] notauimus ex [c] Aristotele; cui etiam mate-
c 1. de an. t. 49. 12. meta. t. 51. ria formam [d] appetit, non viciſsim: Sed corpus, quod abiecit animam interuentu mortis, non habet potentiam naturalem ad vitam denuo subeundam, decretis Aristotelis; ait
d 1. phy. t. 81. enim citatis verbis, *Non [e] est autem, quod abiecit animam, po-*
e 2. de an. t. 10 *tentia existens vt viuat*: ergo multo magis anima semel egressa mortis interuentu a corpore naturalem non habet potentiam ad corpus denuo subeundum, & viuificandum: Quæ ratio sic efformatur, Corpus & materia magis habet natu- xxiv.
ralem potentiam, & physicam inclinationem ad animam & ad formam, a qua perfici potest, quam anima ad corpus, a quo sibi contrahit imperfectiones; quia natura semper
f 2. de part. cap. 14. 4. de part. cap. 10. ab imperfecto progreditur ad perfectum, semperque facit quod [f] melius est: Sed corpus, quod abiecit animam interuentu mortis, non est in potentia naturali ad vitam denuo subeundam ab eadem anima, decretis [g] Aristotelis: ergo nec
g 2. de an. t. 10. anima defuncti a corpore separata potentiam vllam habet naturalem ad corpus denuo subeundum ad mentem Aristotelis, propositis vigintiquatuor argumentis.

Vigesima quinta ratio colligitur ex Diuo Thoma, cui non differunt in naturalibus animæ damnatæ a beatis. Cap. XXXI.

CEterum opinio nostra, quam Aristoteli consentaneam tot argumentis esse demonstrauimus, Diuo quoque

Thomæ Theologorum summo consona multis rationibus ostendi potest; In primis enim quum attributa naturalia in
xxv omnibus animabus rationalibus a materia separatis eadem sint omnino; seu quum separatæ post hominum interitum a corpore rationales animæ non differant inter se in rebus & attributis naturalibus: si enim, vt Diuus [a] Thomas asserit, a 1. p. q. 6
cognitio naturalis in Angelis peccantibus non est ab illis abla- ar. 7. &
ta, nec diminuta; quia propter simplicitatem suæ substantiæ, & q. 11
nihil ab eorū natura subtrahi potest; & ideo dicit [b] D. Diony- ar. 4.
sius; quod dona naturalia in Dæmonibus integra manent: b de Di. nom.
& alibi repetit, [c] *Respondeo dicendum, quod sicut iam [d] dictum* p. 4. in m
est, Ordo Angelicus consideratur & secundum gradum naturæ, c 1 p. q. 10
& secundum gradum gratiæ: & mox. *Si enim considerentur* ar. 1 in
quantum ad id, quod est naturæ, sic adhuc sunt Dæmones *in or-* d 1. p. q. 10
dinibus Angelorum; quia dona naturalia non amiserunt; *vt* ar. 4. &
Dionysius dicit. Si ergo rationalis anima post hominis interitum haberet in se naturalem potentiam ad corpus denuo subeundum; iam & in anima misera damnatorum talis inesset potentia naturalis, pariter atque in anima felici beatorum: sed infelix anima damnati nullam habet in se naturalem potentiam ad corpus denuo subeundum: ergo nec anima felix beati naturalem in se potentiam obtinet vllam ad corpus iterum suscipiendum; quum in naturalibus non differant inter se rationales animæ damnatorum, & beatorum; vt in naturalibus non differunt Angeli damnati a beatis: Porro in anima damnata nullam inesse naturalem potentiam ad corpus denuo subeundum, constat ex eo, quod omnis potentia naturalis tendit ad actum, & ad actum sui generis; adeoque ad [e] perfectionem, ac bonum naturale; vt ait Ari- e 9. meta. t. 7
stoteles: modo rationalis anima damnati nihil boni sibi comparat, nullamque perfectionem acquirit ex resumptione corporis; igitur anima damnati nullam in se retinet naturalem potentiam ad corpus denuo subeundum: idipsumque dicendum est etiam de anima beati; quoniam hæ non differunt ab inuicem in rebus naturalibus. Quod si contendas in anima beata potentiam inesse ad corpus iterum assumendum, quoniam ex tali resumptione sibi comparat maiorem gradum gloriæ, saltem accidentalis; respondebit apte Theologus, gloriam esse bonum supernaturale, ad quod ordinata

 est po-

est potentia supernaturalis, non autem vlla potentia naturalis, quæ diuersi generis est a bono supernaturali. Sic ergo rationalis anima post mortem hominis a corpore separata nullam habet in se potentiam naturalem ad corpus iterum subeundum, siue felix, siue sit infelix; licet vtraque ad id obtineat potentiam supernaturalem obedientiæ, ac moralem, & logicam, vt f antea vidimus.

f cap. 4.5.6.

Vigesima sexta ratio promitur ex Diuo Thoma, cui ad mortui resurrectionem instituitur potentia non naturalis; sed supernaturalis. Cap. XXXII.

SEd & aliam propositi rationem nobis affert D. Thomas alibi dicens, a *Omnis creatura in sua actione requirit subiectum aliquod, in quod agat: solius autem Dei est ex nihilo aliquid facere; vt supra ostensum est; nihil autem quod requirit in sua actione subiectum, potest agere nisi illa, ad qua subiectum est in potentia: hac enim agens in subiectum aliquid operatur vt educat illud de potentia in actum: nulla ergo creatura sicut nec creare potest; ita nec agere potest in aliqua re, nisi quod est in potentia illius rei: fiunt autem multa miracula diuinitus, dum in re aliqua fit diuina virtute quod non est in potentia illius rei; sicut quod mortuus reuiuiscat, & quod Sol retrocedat, & quod duo corpora sint simul: hac ergo miracula nulla virtute creatura fieri possunt.* Vnde ratio formatur; Subiectum recipiens in se diuinam actionem resurrectionis mortuorum nihil est aliud quam anima rationalis, & corpus defuncti, quæ duo reuniuntur: Sed apud Diuum Thomam ideo mortuorum resurrectio est supernaturalis, quia talis actio fit a Deo in subiecto non habente potentiam naturalem ad illum actum; sicuti nec Sol habet potentiam naturalem ad retrocedendum; nec duo corpora potentiam habent naturalem ad hoc vt sint simul: igitur Diuo Thomæ rationalis anima post hominis obitum a corpore separata non habet vllam potentiam naturalem ad corpus denuo subeundum, sicuti neque corpus ad eamdem animam denuo suscipiendam.

a 3, contr. gen. cap. 102.

Vigesima

Vigesima septima ratio colligitur ex D. Thoma, cui naturalis potentia nititur determinatis medijs subiectum praeparantibus. Cap. XXXIII.

PRaeterea nobis etiam adstipulatur Diuus Thomas paullo post inquiens,[a] *Amplius eiusdem rationis esse videtur, quod aliquid operetur id, ad quod est in potentia subiectum, & quod ordinate operetur per determinata media; nam subiectum non fit in potentia propinqua ad vltimum, nisi quum fuerit actu in medio; sicut cibus non est statim in potentia caro, sed quum fuerit conuersus in sanguinem: omnis autem creatura necesse habet vti subiecto ad hoc, quod aliquid faciat; nec potest facere nisi ad quod subiectum est in potentia; vt ostensum est: ergo non potest facere aliquid nisi subiectum reducat in actum per determinata media: miracula igitur, quae sunt ex hoc quod aliquis effectus producitur non illo ordine, quo naturaliter fieri potest, virtute creaturae fieri non possunt.* Hinc ea ratio surgit, Anima rationalis habet naturalē potentiam non ad quodcumque corpus subeundum; sed solum ad humanum ad eam naturaliter dispositum per vegetalem, & sentientem animam in vtero matris; vt ait[b] Aristoteles: At mortuorum resurrectio D. Thomae ideo supernaturalis est, ac miraculosa, quoniā anima rationalis reunitur corpori non habenti naturales dispositiones ad illam; ergo ex Diui Thomę sententia rationalis anima non habet, postquam a corpore defuncti separata fuerit, naturalem potentiam vllam ad corpus denuo subeundum. xxvii

a 3. con. Gen. cap. 102

b 2. phy. t. 2. de ge. a. cap. 3.

Vigesimam octauam rationem struit cum Aristotele Diuus Thomas ex eo, quod potentiae naturali passiuae correspondere debet actiua naturalis. Cap. XXXIV.

QVin & alibi militat a nobis cum Aristotele Diuus Thomas, dum ait,[a] *Impossibile vero, quod dicitur secundum aliquam potentiam, potest attendi dupliciter; vno modo propter defectum ipsius potentiae ex seipsa, quia videlicet ad illud effectum non potest se extendere, vt pote quando non potest agens naturale transmutare aliquam materiam: alio modo ab extrinseco, vt pote quum potentia alicuius impeditur, vel ligatur:* quum itaque Diuo[b] Thomae nullum agens naturale possit

a Qu. de Pot. Dei. ar. C.

b 3. con. Gen. cap. 102

mortuum excitare ad vitam, animamque defuncti rursus coniungere cum corpore, non quidem quia ipsius potentia ligetur, aut impediatur ab altiori validiorique potestate; sed quia nullum agens naturale habet potentiam actiuam huius operis; ceterum ex Aristotele in quocumque ordine reperitur potentia actiua, in eodem est potentia passiua; & vicissim vbicumque fuerit potentia passiua, in eodem ordine reperiri debet potentia illi correspondens actiua; non enim alia ratione e demóstrat necessarium esse in anima inexistere duas differentias intellectus possibilis, & agentis; quorum ille est potentia passiua omnium intelligibilium susceptrix, hic eorumdem est potentia factiua; nisi quia & in Arte, vbi multa fiunt, necessario reperitur artificiosa potentia tum actiua; tum quoque passiua; & in omni natura similiter; ait enim, *Quoniam autem sicut in omni natura est aliquid, hoc quidem materia vnicuique generi; id autem est, quod potentia omnia illa; alterum autem caussa, & factiuum; quod faciendo omnia: Quod Ars ad materiam passa est: necesse & in anima has existere differentias*: e *Et est quidam talis intellectus, quia omnia fit: quidam vero, quia omnia facit, vt habitus quidam, quale est lumen; quodam enim modo & lumen facit potentia existentes colores, actu colores.* verum & alibi Diuus Thomas hanc eamdem propositionem apertissime protulit, inquiens, f *Respondeo dicendum, quod assumptibile dicitur quod potest assumi; quum autem dicitur, creatura potest assumi, non signatur aliqua potentia actiua creaturæ, quia sola potentia infinita hoc facere potuit, vt in infinitum distantia coniungerentur in vnitatem personæ: similiter non signatur etiam potentia passiua naturalis creaturæ; quia nulla potentia passiua naturaliter est in natura, cui non respondet potentia actiua alicuius naturalis agentis: vnde relinquitur quod dicat in creatura solam potentiam obedientiæ, secundum quam de creatura potest fieri quicquid Deus vult; sicut de ligno potest fieri vitulus Deo operante: hac autem potentia obedientia correspondet Diuinæ potentiæ secundum quod dicitur quod ex creatura potest fieri quod ex ea Deus facere potest.* Vnde ratio formatur, Omnis potentia passiua naturalis in natura est habens necessario sibi correspondentem actiuam aliquam potentiam naturalem alicuius agentis naturalis: at vero nulla reperitur vllius agentis naturalis actiua potentia, quæ valeat

Margin notes: 3. de an. t. 17. 18. — 3. de an. t. 17. — tex. 18. — 3. sen. d. 2. q. 1. — xxviii.

leat

leat animã defuncti a corpore separatam rursus vnire corpori, ac mortuum suscitare; quum hoc sit Dei solius supernaturaliter agentis opus; vt cum Diuo g Thoma sentiunt omnes Theologi: ergo Diuo Thomæ rationalis anima post obitum hominis a corpore separata nullam penitus habet naturalem potentiam ad corpus denuo subeundum. g 3.contr.gen. cap.102.

Vigesima nona ratio promitur ex Diuo Thoma, statuente ad ea, quæ a Deo mirabiliter recipiuntur, esse potentiam obedientiæ, non autem naturalem. Cap. XXXV.

CEterum & propositum dogma confirmat Diuus Thomas contradistinguens potentiam naturalem ab obedientiali, dum ait, a *Et propter hoc in creaturis distinguitur potentia duplex: vna naturalis, ad proprias operationes, vel motus; alia, quæ obedientiæ dicitur, ad ea, quæ a Deo recipiunt.* Quum itaque rationalis animæ per obitum hominis a corpore separatæ reunio cum corpore non fiat ab ipsamet anima redeunte ad corpus; quod vel ipse notauit Aristoteles asserens, b *Si autem hoc, & conuertentibus est dicere verum, quod secundum quem corpus mouetur, eo & ipsa: corpus autem mouetur secundum lationem: quare & anima mouebitur, sicut corpus, aut tota, aut secundum partes translata: si autem hoc, & egressam iterum ingredi continget: ad hoc autem sequetur vt resurgant mortua animalium;* quod Aristoteles colligit velut absurdum, & impossibile prorsus in natura: Quumque talis resurrectio mortuorum non fiat ab vlla caussa naturali, vt ait Diuus c Thomas, ast a solo Deo supernaturaliter agente; propterea dicendum est ex Diui Thomæ sententia, rationalem animam interuentu mortis a corpore separatam non habere potentiam naturalem vllam ad corpus denuo subeundum, sed obedientiæ, quæ supernaturalis est.

a Qu. de Pot. Dei.ar.3.

b 1. de an. t. 41.

c 3. cont. gen. cap. 102.

Trigesima ratio desumitur ex Diuo Thoma, cui perfectiones prodeuntes ab agente supernaturali excedunt naturalem capacitatem animæ rationalis. Cap. XXXVI.

POst hæc aliud argumentum propositi suggerit Diuus Thomas inquiens, a *Considerandum est autem, quod est duplex*

a Q. de Virt. art. 10.

duplex hominis bonum; vnum quidem, quod est proportionatum suæ naturæ; aliud autem, quod suæ naturæ facultatem excedit (idipsum dicimus de anima rationali; additque rationem subdens illico) *cuius ratio est, quia oportet quod passiuum consequatur perfectiones ab agente diuersimode secundum diuersitatem virtutis agentis: vnde videmus quod perfectiones & formæ, quæ caussantur ex actione naturalis agentis, non excedunt naturalem facultatem recipientis: potentiæ enim passiuæ naturali proportionatur virtus actiua naturalis: sed perfectiones & formæ, quæ proueniunt ab agente supernaturali infinitæ virtutis, quod Deus est, excedunt facultatem naturæ recipientis.* Quum itaque perfectio resurrectionis, & forma reunionis animæ rationalis defuncti cum corpore non possit prouenire ab vllo naturali [b] agente, sed caussetur solum Diuo [c] Thomæ ab agente supernaturali virtutis infinitæ summo Deo supernaturaliter operante; iam resurrectio mortui, & reunio rationalis animæ defuncti cum corpore superat, exceditque naturalem potentiã, facultatemq; physicam rationalis animę pariter & corporis, quorũ reunio fit post hominis interitum; vnde constat rationali animæ, mortis gladio a corpore seiunctæ, non inesse potentiam naturalem vllam ad corpus denuo subeundum hac ratione. Ad perfectiones & formas excedentes capacitatem facultatemque naturalem recipientis nulla est in patiente potentia naturalis; quia talis potentia nihil est aliud quam capacitas, & facultas naturalis recipientis: ast reunio consociatioque secunda rationalis animæ defuncti, adeoque mortui suscitatio est perfectio corporis, & forma vnibilium superans & excedens capacitatem facultatemque naturalem animæ rationalis & corporis recipientium in se talem vnionem; siquidem talis vnio prouenit solum ab agente supernaturali virtutis infinitæ, quod Deus est; & actio perfectioque proueniens ab agẽte supernaturali Deo superat omnem capacitatem naturalem recipientis naturæ: igitur nec anima rationalis post mortem hominis a corpore separata retinet in se potentiam naturalem vllam ad corpus iterum subeundum in Schola Diui Thomæ; nec etiam corpus, quod mortis interuentu abiecit animam, habet in se potentiam naturalem vllam ad animam eamdem iterum assumendam in Schola [d] Aristotelis.

XXX.

b 1. de an. t. 41
c 3. contr. gen. cap. 102.
d 1. de an. t. 41. 2. de an. t. 10.

Tri-

Trigesima prima ratio elicitur ex Diuo Thoma, decernente suscitationem mortuorum esse contra inclinationem naturæ, supraque naturalem potentiam. Cap. XXXVII.

INsuper autem nostram positionem mirifice tuetur alibi Diuus Thomas inquiens, a *Motus voluntarius ita est in anima, sicut inclinatio naturalis in rebus naturalibus: sed quando Deus operatur in rebus naturalibus contra inclinationem naturæ, est opus miraculosum; sicut quum illuminat cæcum, vel suscitat mortuum.* & mox. *Respondeo dicendum, quod in operibus miraculosis tria consueuerunt inueniri, quorum vnum est ex parte potentiæ agentis; quia sola Diuina virtute fieri possunt; & ideo sunt simpliciter mira, quasi habentia caussam occultam, vt in b prima dictum est; & secundum hoc tam iustificatio impij, quam creatio mundi, & vniuersaliter omne opus, quod a solo Deo fieri potest: Secundo in quibusdam miraculosis operibus inuenitur quod forma inducta est supra naturalem potentiam talis corporis.* ex quibus apparet, resurrectionem mortui, adeoque rationalis animæ semel a corpore mortis gladio separatæ reunionem iterum cum corpore, fieri contra naturalem inclinationem animæ, supraque naturalem potentiam corporis; vnde talis efformatur ratio. Rationalis anima non potest habere naturalem propensionem ad id, quod fit contra naturalem eius inclinationem, & supra naturalem potentiam suæ materiæ: Sed ex Diuo Thoma resurrectio, suscitatioque mortui, proindeque secunda vnio rationalis animæ cum defuncti corpore, fit contra naturalem animæ inclinationem, & supra naturalem potentiam corporis: igitur ex Diuo Thoma rationalis anima post obitum hominis a corpore separata non habet vllam naturalem propensionem ad corpus denuo subeundum, sicuti nec defuncti corpus habet vllam potentiam naturalem ad animam illam iterum excipiendam.

a p. 2. q. 11. ar. 10.

b p. p. q. 10. ar. 7. & q. 110. ar. 4.

xxxi

Trigesima secunda ratio hauritur ex Diuo Thoma referente potentiam solum obedientialem, non item naturalem, ad actum altiorem naturali. Cap. XXXVIII.

AMplius autem aliam propositi rationem nobis affert Angelicus Doctor inquiens, a *Est autem considerandum, quod.*

a 3. p. q. 11. ar. 1.

secunda consociatio rationalis animæ post hominis obitum cum corpore dicitur a Diuo Thoma esse supra naturam miraculosa, quia natura simpliciter non potest in ipsam substantiam facti resurrectionis: igitur ex mente Diui Thomæ rationalis anima post obitum hominis a corpore separata non habet potentiam naturalem ad corpus denuo subeundum.

Trigesima quarta ratio sumitur ex Diuo Thoma, dicente resurrectionem mortuorum fieri sine præcedente præparatione corporis ad animam suscipiendam. Cap. XL.

Deinceps idem Angelicus Doctor a nobis aperte stat, dum ait, [a] *Dicendum est ergo, quod omnes effectus, qui fiunt immediate ipsius Dei, non per caussam secundam mediatam, vt creatio mundi, creatio animæ, & glorificatio animæ, & huiusmodi, iudicandi sunt possibiles, vel impossibiles secundum caussam superiorem Diuinam: Possunt nihilominus aliqui eorum iudicari possibiles secundum caussas passiuas inferiores; quia caussæ receptiuæ se habent in inferioribus, sicut anima se habet ad corpus præparatum per operationem naturæ.* & inferius, [b] *Ad secundum dicendum, quod nec etiam creatio animarum, vel iustificatio impiorum, proprie miracula debent dici, quia quamuis sint præter rationes seminales agentes ad perfectionem effectus; non tamen sūt præter eas disponentes: dispositio enim corporis ad receptionem animæ, & præparatio voluntatis ad susceptionem gratiæ, est per virtutem creaturæ collatam: si tamen sine tali præcedente præparatione vel anima infunderetur, vel gratia conferretur; & vtrumque miraculum dici posset; vt patet in formatione primi hominis, & in conuersione Paulli.* Si ergo miraculosa fuit constitutio primi hominis, quia rationalis anima nullam habuit naturalem propensionem ad subeundum, & animandum corpus illud luteum, in quo nullæ prorsus aderant physicæ dispositiones ad animam rationalem suscipiendam: Quum similiter anima rationalis post obitum hominis a corpore separata in mortuorum resurrectione reuniatur miraculose supra naturam corpori non habenti dispositiones vllas physicas, quibus naturaliter fit ad eam animam in se recipiendam præparatum; nam tales dispositiones sunt tempera-

a 1. sen. d. 42 q. 2. ar. 3.

b 2. sen. d. 18. q. 1. ar. 3. ad 2.

mentum humanum, calor naturalis, anima vegeta, & sentiens; iam constituendum est ex Diuo Thoma, rationali animæ post obitum hominis a corpore separatæ nullam penitus inesse potentiam naturalem ad corpus denuo subeundum: quæ ratio sic efformari potest, Rationalis anima potentiam naturalem habet solum ad subeundum corpus sibi præparatum, atque dispositum; siquidem [c] Aristoteli, *videtur in patiente, & disposito actiuorum inesse actus*: & mox, [d] *vniuscuiusque actus in eo, quod potentia existit, & in propria materia aptus natura est fieri*; quæ verba, *aptus natura*, significant aptitudinem naturalem, seu potentiam passiuam naturalem, quā hic aperte negat Aristoteles animæ erga corpus non dispositum: Modo in mortuorum resurrectione rationalis anima copulatur corpori non ad eam disposito; quia dispositio corporis ad animam rationalem est, vt habeat in se præviam animam vegetalem, & sensitricem, temperaturam humanam, caliditatem naturalem, & organizationem in vtero matris; quod contestatur [e] Aristoteles: igitur ex Diuo Thoma pariter, ac ex Aristotele, rationalis anima post obitum hominis a corpore separata non habet naturalem potentiam vllam ad corpus denuo subeundum. XXXIV.

c 2. de an. t. 24.
d 2. de an. t. 26.
e 2. de ge. an. cap. 3. & 2. de an. t. 6 & seqq.

Trigesima quinta ratio promitur ex Diuo Thoma, cui resurrectio dicitur esse supra spem naturæ. Cap. XLI.

Denique paullo post aliam nobis affert in proposito rationem euidentissimam Diuus Thomas addens, [a] *Ad tertium dicendum, quod resurrectio miraculosa erit; quamuis enim sit secundum spem gratiæ; est tamen supra spem naturæ; & hæc duplex spes distinguitur in Glo. Ro. 4. Qui contra spem in spem credidit*: nimirum in spem gratiæ promittentis sibi sobolem credidit Abraham iam [b] nonagintanouem annos natus & debilis ex vxore Sara nonagenaria & vetula, cui defierunt fieri muliebria [c] profluuia mensium, credidit inquam contra spem naturæ se suscepturum liberos: ex quibus ea ratio colligitur in proposito, Potentia naturalis omnis est secundum spem naturæ, nulla contra spem naturæ, nulla supra spem naturæ; nam spes naturæ tota nititur in sola potentia naturali: quia Physiologus ait frustra penitus esse naturalem, XXXV.

a 2. sen. d. 18. q 1. ar. 3. ad 3.
b Lyran. in ep. Paul. ad Rom. c. 4.
c Genes. 18.

illam potentiam, de qua nulla spes est in natura, quod reducatur ad actum; quum [d] Aristoteli nihil omnino frustra fiat in natura, nec a natura: modo rationalem animam interuentu mortis a corpore separatam, iterum vniri cum corpore, proindeque resurrectionem mortuorum fieri, non solum Diuo [e] Thomæ dicitur supra spem naturæ; sed etiam Aristoteli [f] ponitur naturaliter impossibilis; adeoque contra spem naturæ: igitur & Aristotelis, & Diui Thomæ decretis anima rationalis post hominis obitum non habet vllam naturalem potentiam ad corpus, a quo separata fuit, iterum subeundum & animandum; licet Diuus Thomas alicubi semel tantum oppositam sententiam tueri videatur: qua de re nos [g] infra suo loco fusius.

d 1. cal. t. 32.

e 2. sen. d. 18. q. 1. ar. 3. ad 3.

f 1. de an. t. 41

g lib. 2. ca. 10.

Trigesimasexta ratio deducitur ex Scoto, cui potentia naturalis passiua necessario postulat potentiam naturalem actiuam, saltem disponentem. Cap. XLII.

CEterum & Subtilium Princeps, qui potētiam passiuam vtcumque naturalem admittere videtur ad actum supernaturalem, propositis antea vigintiquatuor argumentis ex Aristotele, ac duodecim e Diuo Thoma, quatuor adiungit alia nostram thesim mirifice communientia, primumque dum ait [a] *Confirmatur ratio, Omni potentiæ passiuæ* [b] *naturali correspondet aliquid actiuum naturale: alioquin videretur potentia passiua esse frustra in natura, si per nihil in natura possit reduci ad actum.* & mox hanc propositionem philosophicam theologice limitans ait, *Dico quod potentia passiua non est frustra, quia licet per agens naturale non possit principaliter reduci ad actum, tamen potest per tale agens dispositio ad ipsum induci.*

XXXVI. vnde colligitur de mente Scoti talis ratio, Omnis potentia passiua naturalis necessario requirit potentiam actiuam naturalem pariter, qua saltem disponatur ad recipiendum actū ab agente vel naturali, vel supernaturali: sed inter agentia naturalia nulla penitus est potestas actiua, quæ possit disponere defunctorum aut animas, aut corpora ad actum reunionis, ac resurrectionis; vt cuique patet, & ratio dictat; etenim talis dispositio corporis ad receptionem animæ rationalis, & animæ rationalis ad subeundum corpus, est organizatio fætus

a 1. sen. prol. q. 1.

b 1. cal. t. 122 & seqq. 3. de an. t. 17. 18.

tus in vtero per ministerium seminis, productio temperamenti humani, calorisque naturalis, & generatio vegetalis, & sentientis animæ prodromæ a parentibus in corpore mox in se recepturo rationalem animam; vt ait [c] Aristoteles; quorum nihil fit ab agente naturali ante actum resurrectionis: igitur ad mentem Scoti rationalis anima post obitum hominis a corpore separata nullam obtinet in se naturalem potentiam ad corpus iterum subeundum. Quæ quidem ratio maximam habet affinitatem cum vigesima octaua [d] superius ex Diuo Thoma & Aristotele deducta; differt in eo, quod hæc potentiæ passiuæ natutali necessario correspondere dicit potentiam naturalem actiuam disponentem, illa ratio principaliter agentem.

c 2. de an. t. 59. & 2. de ge. an. cap. 3.

d cap. 34.

Trigesima septima ratio desumitur ex eodem Scoto, dicente potentiam passiuam naturalem omnem debere reduci ad actum ab agente aliquo in natura. Cap. XLIII.

Verum & illico [a] Subtilis Doctor addés, quod omnis potentia naturalis passiua necessario postulat vt saltem *possit per aliquod aliud agens in natura, id est, in tota coordinatione entium, puta per agēs supernaturale complete reduci ad actum*; nouam nobis in proposito suggerit rationem; scilicet accipiens inclytus doctor ab Aristotele distributionem Agētium in natura, quæ sunt agentia physice; quod aliud est agens naturale, atque aliud non naturale; sed tamen quia naturaliter agit, ideo in natura dicitur agere; per agentia in natura significat omnia physice mouentia, siue ipsa sint physica, siue non physica; vt constat ex Aristotele talia scribente, [b] *Dupliciа autem sunt principia mouentia physice; quorum alterum non physicum est; non enim habet motus principium in seipso: tale autem est, si aliquid mouet, quod non mouetur, vt id, quod penitus est immobile, & quod omnium primum est:* nimirum agentium in natura, quæ dicuntur mouentia physice, duplex genus inuenitur; aliud est physicum agens physice; hoc est naturale agens naturaliter; aliud est non physicum agēs physice, idest supernaturale agens naturaliter; sic Deus non est agens physicum, sed supernaturale, tamen agit plerumque physice, hoc est naturaliter, dum fungitur officio Primi Moueutis, quia

a 1. sen. prol. q. 1.

b 2. phy. t. 73.

quia prout a Physico spectatur, est Natura suprema, quæ reducit ad actum quomodocumque potentiam naturalem omnem passiuam, præuia saltem dispositione peracta per agens naturale: Quibus duobus agentibus physice naturalem potentiam passiuam actuantibus, a Philosopho Naturali consideratis, adiungit Theologus tertium agens non physicum, nec physice operans, at supernaturale agens supernaturaliter; quod non præexigit dispositam sibi materiam ab agente physico, sed supra naturæ leges reducit ad actum etiã materiam indispositam: Quod quidem supernaturale agens supernaturaliter, seu non physicum agens non physice, non cognoscitur a Naturali Philosopho, quia tale agens non agit in natura, nec vt tale spectatur in coordinatione rerum, quæ proprie [c] Natura dicitur, & attinet ad [d] Physiologum; sed est in Mundo intelligibili supernaturali, ac supercorporeo, de quo locutus est etiam Aristoteles, dum talia protulit; [e] *Intelligibile vero alter ordo est: qui per seipsum est, & huius substantia prima; atque huiusce quæ simplex, & secundum actum est*: & multo prius, [f] *Extra autem cælum quod neque est, neque contingit esse corpus ostensum est: Manifestum igitur est quod neque locus, neque vacuum, neque tempus est extrinsecus: Quapropter neque quæ illic sunt, nata sunt in loco esse, neque tempus ipsa facit senescere; neque vlla transmutatio vllius eorum est, quæ super extima dispositæ sunt latione, sed inalterabilia & impassibilia, optimam habentia vitam, & per se sufficientissimam, perseuerant toto æuo*: in quo quidem Mundo supercælesti, ac supernaturali Deus est glorificator iustorum, & omnino mortuorum suscitator & iudex. Dicit autem Aristoteles Mundum intellectualem, dispositionemque ordinis intellectualis esse super extima latione, ac extra cælum sensibile, non quidem materialiter designans nobis intercapedinem corporalem distantiæ localis; sed formaliter aperiens nobis diuersitatem essentiæ ordinis corporalium, qui Natura dicitur, & ordinis Intelligibilium, qui Mundus supernaturalis ac Intellectualis & incorporeus est: qui mundum sensibilem totum continet, ac permeat; vt alibi latius ex [g] Aristotele demonstrauimus agentes de [h] Immortalitate rationalis animæ ad mentem Aristotelis. Itaque Scotus hic afferens, [i] quod omnis potentia passiua naturalis *potest per aliquod aliud agens in natura, id est,* in

c 1. meta. su. cap. 2. 12. meta. t. 52.
d 1. cæl. t. 1.
e 12. meta. t. 37.
f 1. cæl. t. 100.
1. de an. t. 84. 86.
g 1. meta. su. 2. cap. 2. 12. meta. t. 51.
h lib. 1. cap. 3.
i 1. sen. prol. q. 1.

in tota coordinatione entium, puta per agens supernaturale complete reduci ad actum, illa dictione, *complete*, significans præexigi dispositiones ab agente naturali, vt nuper admonuerat, nobis huiusmodi fundamentum texendæ rationis affert, Omnis potentia passiua naturalis necessario reduci potest ad XXX vii.
actum vel ab agente naturali, siue physico; vel saltem ab agente supernaturali, operante tamen in natura, hoc est tum præexigente subiectum physice dispositum ab agente naturali, tum physice mouente: Ceterum solus Deus vt agens supernaturale, ac supernaturaliter, siue vt agens non physicum, nec physice mouens, nullas exposcens physicas dispositiones præinductas ab agente vllo naturali, suscitat mortuos, & vnit denuo rationalem animam defuncti cum corpore, a quo prius separata fuerat: igitur & ipsi Scoto rationalis anima post interitum hominis a corpore separata non habet potentiam naturalem vllam ad corpus denuo subeundum.

Trigesima octaua ratio promitur e Scoto, decernente id, ad quod non pertingit ratio, notioque naturalis, esse supernaturale. Cap. XLIV.

IN super autem ibidem aliam nobis rationem propositi suppeditat Subtilium Coryphæus, dum ait, a *Nota quod nullum supernaturale potest ratione naturali ostendi inesse viatori, vel necessario requiri ad perfectionem eius; nec etiam habens potest cognoscere illud sibi inesse: igitur impossibile est hoc probare contra Philosophum ratione naturali; si autem arguitur ex creditis, non est via contra Philosophum, quia præmissam creditam non concederet, vnde rationes hic factæ contra eum quum alteram præmissarum habent creditam, vel probatam ex creditis; & ideo non sunt sibi nisi persuasiones Theologicæ ex creditis ad creditum.* & mox. *Si igitur natura hominis est naturaliter cognoscibilis homini; naturaliter etiam erit cognoscibilis ista potentia, vt est talis naturæ &c.* & addit, *Confirmatur, quia cui naturaliter est cognoscibilis potentia aliqua, sibi naturaliter est cognoscibile quid sit eius obiectum primum.* & paullo post determinans ait, *& ad tertium de potentia & primo obiecto dici vnita responsione, quod omnia accipiunt nostram naturam vel potentiam intellectiuam esse a nobis cognoscibilem naturaliter, quod falsum est*

sub

a 1. *sen. prol.* q.1.

*sub illa ratione propria & speciali, sub qua ad talem finem ordi-
natur, & sub qua capax est gratiæ consummatæ ; & sub qua habet
Deum pro perfectissimo obiecto ; & domino, Respondeo ad pri-
mum requireretur dici qualis fuerit cognitio hominis instituti,
quod vsque aliàs differatur, saltem respectu viatoris pro isto statu
est dicta cognitio supernaturalis ; quia facultatem eius naturalem
excedens, naturalem dico secundum statum naturæ lapsæ.*
xxxviii. Qui-
bus ita se habentibus, ratio sic efformatur ; Omnis po-
tentia naturalis, siue actiua, siue passiua, potest naturali ra-
tione cognosci ; & a Naturali Philosopho percipi : sed nulla
ratio naturalis est (saltem pro statu isto, seu secundum statum
naturæ lapsæ, vt ait Scotus) qua cognosci valeat, aut a Philo-
sopho Naturali percipi, rationalem animam a corpore sepa-
ratam post hominis interitum habere potentiam naturalem,
physicamque propensionem ad corpus denuo subeundum ;
igitur ex doctrina Scoti rationalis anima post obitum homi-
nis a corpore separata nullam habet potentiam naturalem ,
propensionemque physicam ad corpus denuo subeundum .
Et sane potentiam omnem naturalem esse ratione naturali
cognoscibilem, & a Naturali Philosopho physice percepti-
bilem, apparet non solum ex allatis e Scoto dictis, Naturali
Philosopho simul & naturali rationi, solum interdicentibus
cognitionem rei potentiæque supernaturalis ; verum etiam
ex Aristotele, cui [b] scientia de natura versatur maxime circa
naturalium passiones, consideratque [c] potentias omnes mo- [b] 1. cœl. t. 1.
bilium, & rerum naturalium ; Naturali vero ratione, Na- [c] 3. phy. t. 6. &
turalique a Philosopho physice cognosci non posse, neque seqq.
naturaliter percipi pro statu isto, rationali animæ post homi-
nis interitum a corpore separatæ inesse naturalem potentiam
ad corpus denuo subeundum, & iterum animandum, con-
stat itidem non solum ex [d] Aristotele colligente velut impos- [d] 1. de an. t.
sibile ac irrationabile in rerum natura, rationalem animam 41.
semel egressam e corpore per obitum, iterum ingredi, adeoq;
resurgere mortuos homines : sed & ex ipso Scoto, statuente
potentiam, quam habet anima rationalis ad actus superna-
turales, cuiusmodi est resurrectio, non esse cognoscibilem na-
turaliter ; quoniam excedat facultatem naturalem, saltem
secundum statum naturæ lapsæ ; sed solum supernaturaliter
cognosci posse potentiam, qua rationalis anima ordinatur ad

gratiam consummatam, siue ad Deum, & ad vltimum finem gloriæ; quæ potestas identificatur cum potentia resurrectionis, adeoque reunionis animæ rationalis cum corpore glorioso. Quin & ex eo certum est, potentiam, quam habet anima rationalis post obitum hominis a corpore separata, ad corpus denuo subeundum in actu resurrectionis, nulla ratione physica percipi posse, naturaliter agnosci non posse, sed solum supernaturaliter, quod resurrectio mortuorum in Symbolo Fidei ponitur inter dogmata credenda; quæ autem Fide creduntur, naturali ratione non percipiuntur; etenim Fides est Diuo [b] Paullo argumentum non apparentium notitiæ naturali; quæ semper ortum ducit ex ijs, quæ sensibus apparent: quum Fides nitatur solum autoritate diuina, vt ait Lyranus.

[b] ad Hebr. 11 & ibid. glos.

Trigesima nona ratio ducitur ex eodem Scoto decernente, rationalem animam, siue mentem humanam pro statu isto non esse naturaliter receptiuam intellectionis obiecti primi intelligibilis. Cap. XLV.

PRæterea vero satis efficacem nobis exhibet aliam rationem Scotus asserens, [a] *Posset autem tertio modo facilius dici ad minorem, negando quod licet absolute intellectus possibilis sit naturaliter receptiuus talis intellectionis, non tamen pro statu isto; caussa cuius dicetur inferius distinctione tertia:* vbi hæc habentur, [b] *Sed restat vnum, si ens secundum rationem suam communissimam sit primum obiectum intellectus; quare non potest quodcunque sub ente contentum naturaliter mouere intellectum? sicut fuit argutum ad primam rationē in prima quæstione in prologo; & tunc videtur quod Deus naturaliter posset cognosci a nobis, & substantiæ omnes immateriales; quod negatum est; immo negatum est de omnibus substantijs, & de omnibus substantiarum partibus essentialibus, quia dictum est quod non concipiuntur in aliquo conceptu quiditatiuo, nisi in conceptu entis: Respondeo, obiectum primum potentiæ assignatur illud, quod adæquatur potentiæ in ratione potentiæ, non autem quod adæquatur potentiæ vt in aliquo statu; quemadmodum primum obiectum visus non ponitur illud, quod adæquatur visui existenti in medio illuminato lumine candelæ precise, sed quod natum est adæquari visui ex se, quantum sit ex natura sui: tunc autem, vt probatum est prius contra primam*

[a] 1. sen. prol. q. 1.

[b] 1. sen. d. 3. q. 3.

mam opinionem ad quaestionem de obiecto primo intellectus, hoc est adaequato; qua ponit quiditatem rei materialis esse primum obiectum, nihil potest adaequari intellectui nostro ex natura potentia in ratione primi obiecti, nisi communissimum; tamen pro statu isto ei adaequatur in ratione motiui quiditas rei sensibilis; & ideo pro statu isto non naturaliter intelliget alia; qua non continentur sub illo primo motiuo: si quaeritur qua est ratio istius status, Respondeo, status non videtur esse nisi stabilis permanentia legibus Diuina sapientia firmata; stabilitum est autem illis legibus sapientia, quod intellectus noster non intelligat pro statu isto, nisi illa, quorum species relucent in phantasmate; & hoc siue propter pœnam originalis peccati; siue propter naturalem concordiam potentiarum anima in operando, secundum quod videmus quod potentia superior operatur circa idem, circa quod inferior, si vtraque habet operationem perfectam; & de facto ita est in nobis, quod quodcumque vniuersale intelligimus, eius singulare actu phantasiamur: ista tamen concordia, qua est de facto pro statu isto, non est ex natura nostri intellectus, vnde intellectus est, nec etiam vnde in corpore est; tunc enim in corpore glorioso necessario haberet similem concordiam; quod falsum est: vndecumque igitur sit iste status, siue ex mera voluntate Dei, siue ex mera iustitia punitiua, siue ex infirmitate, quam caussam August. innuit xv. de Trinit. cap. vlt: Qua caussa, inquit, cur ipsam lucem acie fixa videre non possis, nisi vtique infirmitas? & quis eam tibi fecit, nisi vtique iniquitas? siue inquam hac sit tota caussa, siue aliqua alia, saltem non est primum obiectum intellectus, vnde potentia est quiditas rei materialis, sed est aliquid commune ad omnia intelligibilia; licet primum obiectum adaequatum sibi in mouendo pro statu isto, sit quiditas rei sensibilis. Ex quibus aperte colligere licet ad mentem Scoti, Rationalem animam in corpore degentem non habere naturalem potentiam ad intelligendum substantias immateriales; immo nec substantias omnes, nec substantiarum partes essentiales: Vnde ratio talis in proposito nostro

xxxix. potest efformari, Rationalis anima maiorem habet propensionem, essentialioremque potentiam, & naturaliorem inclinationem ad intelligendum omnia, speciatimque substantias immateriales, ac vniuersim substantias omnes, substantiarumque partes essentiales, dum est in corpore, quam ad corpus denuo subeundum, & informandum, dum est extra cor-

pus post hominis interitum: sed ad mentem Scoti rationalis anima degens in corpore mortali non habet naturalem potentiam ad intelligendum Deum, nec alias mentes abstractas, nec substantias vllas absolute, nec essentiales substantiarum partes, siue ob pœnam originalis peccati hoc illi accidat, siue propter naturalem concordiam potentiarum animæ in operando, siue ob infirmitatem, vt ait Diuus c Augustinus: igitur ex mente Scoti rationalis anima post mortem hominis a corpore separata non habet vllam naturalem potentiam, physicamue propensionem ad corpus denuo subeundum, & animandum: Minorem esse propensionē animæ defuncti a corpore separatæ ad corpus denuo subeundum, quam animæ corpori mortali consociatæ ad intelligendas omnes substantias, & substantiarum partes essentiales, ac speciatim a materia separatas, triplici potissimum ratione firmari potest; In primis enim Aristoteles vno lumine naturæ ductus, & Naturalis Philosophus agens in libris de Anima, primum absolute negat animam defuncti semel egressam e corpore, potentiam habere rursus ingrediendi corpus; at non negat, sed vtcumque cognoscit, ac ponit Animam rationalem in corpore degentem posse cognoscere substantias abstractas; immo vero perspicuis verbis affirmat intellectum nostrum in corpore degentem cognoscere substantias, & substantiarum partes essentiales: primum quidem, dum probaturus animam non esse per se loco mobilem, ait, d *Præterea quoniam videtur mouere corpus, rationabile est ijs mouere motibus, quibus & ipsa mouetur: si autem hoc, & conuertentibus est dicere verum, quod secundum quem corpus mouetur, eo & ipsa: corpus autem mouetur secundum lationem; quare & anima mouebitur, sicut corpus, aut tota, aut secundum partes translata: Si autem hoc, & egressam iterum ingredi continget; ad hoc autem sequetur vt resurgant mortua animalium:* quod tamquam impossibile deducit, ac irrationabile penitus in natura. Secundum autem dum infit, e *Omnino autem intellectus, qui secundum actum intelligit, res ipsa est: Vtrum autem contingat aliquid separatorum intelligere ipsum existentem non separatum a magnitudine, an non, considerandum est posterius.* & Diui f Thomæ decretis alibi, dum scribit, g *Quum vero difficultas duobus sit modis; fortassis caussa eius non rebus, sed nobis ipsis inest:* quem-

c 15. de Trin. cap. vlt.
d 1. de an. t. 41.
e 3. de an. t. 36.
f in com. 3. de an. t. 36.
g 2. meta. t. 1.

quemadmodum enim Vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita & intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt: Porro vespertilionum oculi confusam saltem habent cognitionem luminis diei, quod plane discernunt a tenebris noctis, in quibus peruolant, ipsum non sustinent: & omnium manifestissima sunt substantiæ separatæ, quæ sunt actus puri; quum actus vbique sit ratio cognoscendi & intelligendi apud [h] Aristotelem; cui vicissim materia est secundum se [i] ignota, & potentia est caussa [k] occultationis & [l] ignorantiæ. Quin & Alberti [m] Magni vetustiore testimonio alibi, dum inquit [n] *Non est enim decipi circa quod quid est, nisi secundum accidens: similiter autem est circa non compositas substantias; non enim est decipi: & cuncta sunt actu, non potentia; generarentur enim profecto, & corrumperentur: ex aliquo enim vtique generarentur. Quæcumque itaque sunt vere ipsum esse quid & actu, circa hæc non est decipi, sed aut intelligere, aut non: verum quod quid est de eis quæritur, si talia sint, an non: esse vero vt verum est, & non esse vt falsum: vnum quidem si componitur, verum; si vero non componitur, falsum: vnum vero si est quidem ens sic, est; sin vero non ita, non est: verum autem intelligere hæc: falsum vero non est deceptio, sed ignorantia; non qualis cæcitas est; etenim cæcitas quidem, sicuti si omnino non haberet aliquis intelligendi potentiam*. Sic igitur Aristoteli mens humana corpori sociata potentiam aliquam habet intelligendi substantias a materia separatas. Tertium vero, dum asserit, Humanam mentem corpori iunctam intelligere [o] carnem, & [p] carni esse; ac omnino intelligere [q] omnia, proindeque substantias, & substantiarum partes essentiales. Deinde vero quum Aristoteli finis dicatur esse magis caussa generationis rerum naturalium, quam [r] efficiens, & quam [s] materia; quia finis est caussa cur efficiens agat, & cur materia generationem promoueat, patiaturque; non autem vicissim efficiens, aut materia caussa est vt finis suo munere fungatur in productione rerum naturalium: eadem sane ratione quũ anima rationalis decreto [t] Magistri propterea sit actus primus corporis humani, quia est principium intellectiuum, siue id quo primo intelligimus: necessario intelligendum est, Animam rationalem habere maiorem propensionem ad intelligendum, quam ad materiam corporis actuandam, etiam

h 9. meta. 20.
i 7. meta. t. [illegible]
k 3. phy. t. 1[illegible]
l 8. phy. t. 3[illegible]
m 3. de an. t. 36.
n 9. meta. t. 2[illegible]
o 3. de an. t. 9[illegible]
p tex. 10.
q 3. de an. t. 4[illegible] 18. 37. 38 39.
r 1. de part. c[illegible]
s 2. phy. t. 91
t 2. de an. t. 1[illegible] 24. 26.

dum in corpore inest; proptereaque separatam a corpore multo minorem habere propensionem ad corpus denuo subeundum, quam in corpore degentem ad intelligendum: Deinceps illa conditio magis est naturalis, essentialis, & propria rationalis animæ, quæ minus ab eadem anima separari potest: sed esse actum corporis longe magis ab anima rationali separari potest, quam esse principium intellectiuum; nam anima rationalis semper est principium intellectiuum, & dum inest in corpore, & dum est a corpore seiuncta; quod asserit Aristoteles, cui Mens, *quæ secundum* u *potentiam*, ac omnino noster intellectus possibilis, animaque rationalis, *non aliquando quidem intelligit, aliquando autem non intelligit*; sed in vtroque statu; eadem vero non est semper actus corporis organici; tum quia Magister asserit, x Nihil prohibere quasdam partes animę separabiles esse, quia nullius corporis sunt actus: tum quia manifesto constituit y Aristoteles animam intellectricem esse facultatem penitus inorganicam: tum quia certum est animam rationalem & in corpore, & separatam a corpore semper esse principium intellectiuum, at non esse semper corporis actum, quum a corpore separata nullum omnino corpus actuet: sic igitur magis conuenit naturæ animæ rationalis esse principium intellectiuum, quam actum corporis, siue corporis informatiuum: Quum itaque z Scoti decretis anima rationalis in corpore degens non habeat naturalem potentiam ad intelligendum substantias, potissimũ a corpore separatas; iam de mente Scoti statuendum est, Animæ rationali post obitum hominis a corpore separatæ non inesse potentiam naturalem ad corpus denuo subeundum, & animandum:

u 3. *de an.* t. 19.

x 2. *de an.* t. 11.

y 3. *de an. t.* 6.

z 1. *Sen. prol.* q. 1. & d. 3. q. 3.

Quadragesima ratio deducitur ex eo, quod ad creationem nulla præexigitur potentia passiua naturalis. Cap. XLVI.

DEnique vero non est omittendum, quod in sacra pagina compertum habemus, duplicem esse Creationem, vnam quidem ex nihilo, seu ex nullo præsupposito materiali subiecto; de qua scribitur, a *In principio creauit Deus cælum, & terram*: alteram autem ex materia non disposita naturaliter ad talem mutationem, formamque subeundam; de qua creatione

a Genes. 1.

creatione legitur ibidem, b *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creauit illum: masculum, & feminam creauit eos.* & mox. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ; & factus est homo in animam viuentem*: & quum Diuus d Hieronymus apud Diuum Paullum obseruauerit Creationis nomen in sacra pagina poni consueuisse ad significanda opera magna, & eximia, cuiusmodi sunt opera Dei supra naturæ leges, & capacitatem patrata; quod non latuit doctissimum e Pererium; hanc tamen veritatem latius explicauit inclytus Vallesius in sua Sacra Philosophia scribens, f *Videri possit verbum illud, Creare, non habere eam vim, quam diximus, sed esse vtcumque facere; siquidem dicitur, Creauit Deus hominem; at vero non fecit eum ex nihilo, sed ex limo terræ: sed neque alia viuentia fecit nisi ex terra, aut aqua. Diuus Augustinus censet omnia esse creata simul eodem momento, seu in eodem Nunc; illam vero partitionem dierum non significare partes temporis, sed distinctionem, & gradus quosdam naturæ rerum; atque factum esse hominem ex terra, non actu praexistente, sed existente potentia in ipso; velut quiuis dicitur nostrum vere factus ex quatuor elementis, tametsi nulla terra, aut aqua erat actu id, ex quo facti sumus; sed semen, & sanguis: Itaque vt vnico intuitu tota facies, & omnes eius partes, in speculo exprimuntur; ita vnica iussione Dei constitisse totam hanc corpoream molem, & in ea refulsisse illum Diuinitatis fulgorem, quem vocamus Naturam. Ceterum quia non omnes Sancti hoc ita intelligunt, alia responsione est opus. De verbo, Creare, ego ita censeo; Creare duplex esse; alterum, & præcipuum, ex nihilo facere; alterum, sine materiæ dispositione facere: nam substantia non videtur aliter fieri posse, quam generatione, aut creatione; generatio vero non est nisi in materia disposita: quæ igitur sine materiæ dispositione est, Creatio vocari debet. Quapropter siue ex nihilo omnia; siue ex nihilo quædam, quædam ex materia non disposita, sed iubendo fecit, omnium est Deus effector & Creator.* Vnde talis ratio construi potest ad propositum nostrum, Omnis naturalis potentia

XL. passiua præcedens alicuius constitutionem, necessario nititur dispositionibus physicis in materia nata perpeti ab efficiente: sed mortuorum resurrectionem, adeoque rationalis animæ, per mortem a corpore separatæ, secundam vnionem cum

b Genes. 1.
c Genes. 2.
d In ep. ad Eph. cap. 2. com.
e in Gen. l. 1. cap. 1. v. 1. n. 35.
f cap. 1.

cum corpore, solus Deus creator promouet, & promouet semper immediate in materia non disposita; si enim corpus defuncti non habet physicas dispositiones ad animam iterum excipiendam, nec anima physicas habet dispositiones ad idem corpus iterum subeundum; nam vt ad aliam formam naturaliter est disposita alia g materia; sic anima, & forma quæuis apta natura h est copulari in propria vniuscuiusque materia, & in patiente ad se disposito, vt ait Aristoteles: igitur Anima rationalis post hominis interitum a corpore separata non habet vllam naturalem potentiam ad corpus denuo subeundum. Vel talis. Creationem nulla præcedit potentia naturalis, siue ad Creationem vllam nulla præexigitur naturalis potentia passiua; sed tantum supernaturalis potestas obedientiæ, ac non repugnantia; quod verum est tam de creatione secunda ex materia non disposita, quam de prima ex nihilo: modo mortuorum excitatio est secundi generis creatio, nimirum hominis constitutio noua ex materia non disposita: ergo rationalis anima post obitum hominis a corpore separata non habet naturalem potentiam ad corpus denuo subeundum, sicuti nec vicissim corpus defuncti potentiam habet vllam ad animam iterum excipiendam; etenim in actu resurrectionis Deus solus est agens, anima & corpus sunt materia pariter illius reunionis; vt in actu mistionis elementa pariter omnia sunt materia miscibilis, et si solus ignis in misto se habet erga cetera elementa, veluti forma erga materiam i Aristotele Doctore.

g 2. phy. t. 26.
h 2. de an. t. 24. 26.

Quod ergo professi fuimus theorema nuper in primis nostris prælectionibus huius Anni k Litterarij, Rationalem animam post hominis interitum a mortali corpore separatam ideo non attinere ad Philosophum Naturalem, quia tunc ipsa nullam in se potentiam naturalem habeat ad materiam, sine qua Physicus nihil meditatur; nullamque propensionem physicam obtineat ad corpus denuo subeundum; consentaneum est mirifice non solum doctrinæ Aristotelicæ, quæ oppositum dogma plane respuit; sed etiam Theologorum Antesignano Diuo Thomæ, qui multiplici ratione nostram sententiam tuetur; quin & Subtilium Principi nobis aperte non vnica ratione fauenti.

i 2. de gen. t. 5
k 1633. 1634

FOR-

FORTVNII LICETI

De varia Propensione Rationalis animæ ad corpus

LIBER SECVNDVS:

In quo respondetur argumentis viri Floridi, nonnullisq; rationibus alijs probare satagentibus, Animam Rationalem post hominis interitum habere naturalem potentiam, physicamque propensionem ad corpus denuo subeundum, & animandum.

Præfatio attexens dictis dicenda, locumque dubitationis aperiens.



Vum in superiore libro sat superque confirmauerim ex Aristotele, Diuo Thoma, Subtilium Principe Scoto, & Sacris litteris, Animam rationalem post hominis interitum a corpore seiunctam non habere propensionem physicam, potentiamue naturalem vllam ad corpus denuo subeundum; sed solum supernaturalem, Diuino-moralem, & logicam. Quia nostro priori placito reclamat vir Floridus, operæ pretium duximus illius argumentis occurrere; vt de proposita sententia

Studiosi

Studiosi firmam theoriam habere valeant e meo penu. De supernaturali quidem potentia Obedientiæ nuncupata, deque morali seu politico-diuina, deque potentia logica seu non-repugnantia rationalis animæ defuncti ad corpus denuo subeundum, quin etiam de naturali eiusdem propensione in primo Statu ad corpus animandum, & in secundo viuificandum vsque ad certum tempus, quas antea *a* late declarauimus, quia neminem habemus contradictorem, nihil in posterum afferendum nobis remanet. Vniuersa igitur erit contemplatio nostra in diluendis difficultatibus vellicantibus sententiam interdicentem animæ rationali per mortem a corpore separatæ naturalem omnem potentiam, physicamque propensionem ad corpus denuo subeundum.

lib. 1. cap. 1. & seqq.

Animæ rationali post hominis obitum a corpore separatæ non ideo tribuendam esse naturalem inclinationem ad corpus denuo subeundum, quia sit forma: vnde habetur prima solutio primæ dubitationis a Florido viro propositæ. Cap. I.

MIhi vero nuper asseueranti, Rationalem animam post obitum hominis a corpore separatam non attinere ad Physicum, quia non obtineat vllam penitus habitudinem naturalem, physicamue potentiam ad corpus materiale; a quo non potest abstrahere Naturalis Philosophus; refragari conabatur vir Floridus oppositam opinionem confirmare studens, propositamque meam sententiam demoliri satagens; dum me audiente, scholamque illius honestante, de suggestu dicebat, Animam separatam a corpore defuncti hominis adhuc esse substantiam; & in genere substãtiæ non quidem materiam, neque compositum quid ex materia & forma; vt vnicuique constat aperte vel ex *a* Aristotele; quumque præter has duas alia *b* nulla reperiatur, eodem Magistro, substantia, nisi forma, quæ actus est; iam anima defuncti extra corpus erit forma, & actus: modo formæ attributum essentiale est τὸ esse completiuum materiæ, siue informatiuum, vt ipse ait; actusque ratio & idea consistit in hoc vt sit materiæ perfectiuus: quare rationalis anima post obitum hominis a corpore separata naturalem habet propensionem ad corpus denuo informandum, & animandum; cuius non potest non esse comple-

a 2. de an. t. 4. & seqq.
b 2. de an. t. 2.

Sol. 3. completiua, [c] perfectiua, & viuificatiua: Verum enimuero nodus hic intime perspicienti rei naturam facile dissoluetur; In primis enim longe lateque concedentes, Animam rationalem post hominis interitum a corpore separatam esse substantiam: Dantesque rationalem animam extra corpus demortui non esse materiam, neque substantiam compositam ex materia & forma: Primum absolute negamus, Animam rationalem post hominis obitum ab omni materia separatam esse formam & actum; ratioque negationis est, quia forma & actus est alicuius materiæ forma, & alicuius corporis actus: etenim materia & forma sunt [d] ad aliquid; & sem per ad aliam formam alia materia est: modo rationalis anima defuncti nullam omnino materiam habet, quam actuet; nullum omnino corpus physice potest habere, quod informet, perficiatque; propterea tunc anima extra corpus non est proprie forma, nec vere actus; sed est substantia quædam incorporea simplex per se subsistens in genere suo. Ad autoritatem Aristotelis [e] diuidentis genus substantiæ in materiam, quam dicit esse potentiam; in formam, quam constituit esse actum; & in compositum ex his duabus partialibus substantijs; Dicimus Aristotelem tunc agere personam Philosophi Naturalis; qui non [f] abstrahēs vnquam a materia, solummodo substantias illas considerat, quæcumque materiam aliquo modo physice concernunt; huiusmodi vero sunt materia, forma in materia degens, materiamque perficiens, aut ad materiam naturaliter propensa, & Compositum ex materia & forma; Sed anima rationalis post interitum hominis a corpore separata non attinet ad Naturalem Philosophum, sed ad Metaphysicum, vt [g] multis in locis decernit Aristoteles; & proinde non est vna e tribus illis substantijs, in quas Magister, dum [h] Physiologus agit, diuisit genus substantiæ, nimirum nec materia, nec forma, nec compositum ex his; at est substantia quædam sui generis, nempe simplex incorporea per se subsistens, Physico prorsus ignota, seu ad Physicum non attinens vllo modo: Et reuera loco proposito Philosophum nomine formæ nobis indicare substantiam in materia degentem, ac omnino partem actualem compositi naturalis, apertissime constat ex verbis textus huiusmodi, [i] *Dicimus igitur vnum quoddam genus eorum, quæ sunt, substantiam: Huius autem*

c 1. phys. t. 31. 2. de an. t. 2.

d 2. phy. t. 26.

e 2. de an. t. 2.

f 2. phy. t. 19.

g 2. phy. t. 26. 1. de an. t. 15. 17. 6. meta. t. 2. 1. de part. cap. 1.

h 2. de an. t. 2.

i loc. cit.

tem, aliud quidem sicut materiam, quod secundum se quidem non est hoc aliquid: aliud autem formam, & speciem, secundum quã iam dicitur hoc aliquid: & tertium, quod ex his: est autem materia quidem potentia, forma autem actus. In quibus tria sunt, quæ nos aperte doceant, Aristotelem ab hac diuisione prorsus excludere rationales animas post mortem hominis a corpore separatas, ac solum considerare formas in materia degentes; vnum quidem est, quod formam definit non esse hoc aliquid, sed *secundum quam iam dicitur hoc aliquid:* modo rationalis anima demortui a corpore separata, non est secundum quam iam dicitur hoc aliquid; quia non constituit in esse vllam substantiam compositam indiuiduam, quæ sola proprie dicitur hoc aliquid a Philosopho k Naturali, & a l Logico: forma m igitur hic ab Aristotele cõtradistincta a materia, & a composito, non est substantia rationalis animæ per mortem a corpore separatæ; sed solum omnis forma degens in materia, constituens in esse compositum naturale, quod solum dicitur hoc aliquid; quum forma Physico non ipsa sit hoc aliquid, sed sit secundum quam iam dicitur hoc aliquid. Alterum autem est, quod Aristoteles agit de illa forma, ex qua simul cum materia constituitur composita substantia tertia, dum ait, *Et tertium, quod ex his:* modo rationalis anima demortui, a corpore separata, non est id ex quo constituatur vlla tertia substantia composita: non igitur allata diuisio substantiæ complectitur animas rationales a corpore separatas, Tertium demum est, quod in diuisione proposita substantiæ loquitur Aristoteles de illa tãtummodo forma, quę est actus, & actus corporis, materiæque; vt paullo infra n Magister determinat latius: atuero rationalis anima post hominis obitũ a corpore separata non est actus vllius corporis; vt vnicuique constat, & Aristoteles aperte docet inferius asserens, o *Nihil prohibet quasdam partes animæ separabiles esse; propterea quod nullius corporis sunt actus*. Ita ergo rationalis anima demortui a corpore separata non comprehenditur ab Aristotele sub allata diuisione, qua partitus est substantiam in materiam, formam, & compositum ex his: Quare falso fundamento nititur viri Floridi ratiocinium, cuius altera præmissa fuerat, Animam rationalem, defuncti a corpore separatam, esse proprie formam, quæ actus est.

[margin: k 1. phy. t. 66. / l Præd. subst. / m 2. de an. t. 2 / n 2. de an. t. 3. & seqq. / o 2. de an. t. 11.]

Secunda solutio eiusdem obiectionis, ostendens non semper conuenire cuicumque formæ τὸ esse completiuum ac perfectiuum materiæ. Cap. II.

DEinde vero concedentes disputationi, quod falsum nūc esse perspeximus, Animam rationalem a corpore demortui separatam, esse formam vtcumque: Negamus formæ cuique ac semper conuenire attributum hoc, velut essentiale, quod sit completiua, perfectiua, informatiua, siue actuatiua materiæ, corporisue naturalis: quæ fuerat propositio maior argumentationis a viro Florenti propositæ: ratioque negationis est, quoniam hoc attributum conuenit formæ, seu animæ rationali solum in suo primo Statu, & in secundo, non autem in tertio, de quo loquimur in præsentia; quia post mortem hominis a corpore separata dum est, tunc plane functa physice munere suo, non amplius habet rationem informatiui principij, nō amplius habet rationem actus vllius corporis, vt ait Aristoteles [a] ipse loco nuper allato. Sic animā vegetalis in recens orto viuente est necessario principium augmentatiuum, decreto Magistri, cui [b] *Necesse est, quod genitum est,* in viuentibus, *augmentum habere, & statum, & decrementum:* attamen hanc rationem principij augmentatiui non retinet semper, non habet semper anima vegetalis quousque permanet in eo viuente, adeoque quousque est in rerum natura; quum a corpore sit inseparabilis; sed vsque dum ingruit necessitas naturalis augendi; siue vsque dum illi viuenti comparauerit, conquisiueritque iustam membrorum magnitudinem, ad operationes vitæ probe peragendas necessariam; quem finem quum adepta fuerit, in eo viuente remanet anima vegetalis non amplius habens rationem augmentatiui principij; frustra siquidem augeret vltra terminū magnitudinis, & augmenti corporibus viuentibus omnibus a Natura [c] præscriptum; quod edocet Aristoteles: Pari sane ratione rationalis anima in suo primo Statu, priusquam corpori copuletur in formam, est informatiua corporis: in secūdo Statu pariter, dum in corpore degit, est illius actus, & completiuum, perfectiuumque principium: sed in tertio Statu, dum interuentu mortis est a corpore separata, tali suo munere informandi, & actuandi materiam pridem in corpo-

a 2. *de an.* t. 1.

b 3. *de an.* t. 59.

c 2. *de an.* t. 4.

re functa, iam desijt esse principium informatiuum physice, nec amplius naturaliter habet rationem principij perfectiui materiæ; quoniam hoc attributum, quod est esse corporis informatiuum, materiæque completiuum, & actuatiuum, est essentiale rationali animæ solum in suo primo Statu, & in secundo, non autem in tertio. Quinimmo quid ad vegetalem animam recurro? habemus in ipsa rationali anima naturalem potentiam mouendi; vt constat ex [d] Aristotele; quæ competit illi solum in secundo Statu, ac si placet in primo, sed remote; non autem in tertio vlla ratione; quoniam potentia motiua non est a corpore separabilis cum animæ substantia; cum qua separabilis est solum potentia speculatiua & intellectus, perspicuis verbis Aristotelis asserentis, [e] *De Intellectu autem & speculatiua potentia non adhuc manifestum est: sed videtur genus aliud animæ esse; & hoc solum potest separari, sicut perpetuum a corruptibili.* Si ergo solum hoc, quod dicitur intellectus in anima rationali, & speculatiua potentia nominatur, potest separari, tamquam æternum a corruptibili; profecto potentia motiua, quam paullo [f] antea distinxerat Aristoteles ab intellectiua, non erit a corpore separabilis; igitur erit separabilis ab anima tanquam corruptibile quid ab incorruptibili; & quæ fuerat potentia motrix in anima corpori iuncta, quia nitebatur habitudine relationeque ad organa motui destinata, non remanebit in eadem a corpore seiuncta. Sed & hoc ipsum colligitur ex alio loco Magistri scribentis, [g] *Quæ vero secundum potentiam tempore prior in vno est, omnino autem neque tempore: sed non aliquando quidem intelligit, aliquando autem non intelligit. Separatus autem est solum hoc, quod quidem est, & hoc solum immortale est, & perpetuum.* Si ergo in anima rationali hoc solum est immortale, & perpetuum, & hoc solum est separatum, quod dicitur intellectus; profecto motiua potentia residens in anima rationali corpori iuncta, non erit immortalis & perpetua, non erit vnquam separata; quia conueniens animæ degenti in corpore, desinit esse, ac interit cum homine in separatione animæ a corpore. Quod & alio loco nobis apertissime declarat Aristoteles inquiens, dum loquitur de partibus animæ fætui adiungendis, [h] *Ceterum omnes ante esse impossibile rationibus his esse ostenditur. Quorum enim principiorum actio est corporalis, hæc*

d 3. de an. t. 48. & seqq.

e 2. de an. t. 21

f tex. 18.

g 3. de an. t. 20.

h 2. de gē. an. cap. 3.

hæc sine corpore esse non posse certum est; verbi gratia ambulare sine pedibus: itaque extrinsecus ea venire impossibile est: nec enim ipsa per se accedere possunt, quum inseparabilia sint neque cum corpore; semen enim excrementum alimenti mutati est. Restat igitur vt mens sola extrinsecus accedat; eaque sola diuina sit; nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis. Ex quibus luce meridiana clarius est, potentiam motricem hominis motu ambulationis, quam facultatem [i] Aristoteles ponit in anima rationali, non esse separabilem a corpore cum animæ substantia, cuius est facultas; sed animam habere rationem principij motiui, dum est in corpore, quam rationem motoris amittit, dum a corpore separatur. Idipsum & alibi nos docuit Aristoteles, dum ait, [k] *Non est autem idem moueri secundum accidens a seipso, & ab altero: moueri enim ab alio & eorum, quæ sunt in cælo, quibusdam principijs inest, quæ secundum plures feruntur lationes; alterum autem corruptibilibus solum.* etenim Aristoteles hic asserens moueri per accidens a seipsis inesse solum corruptibilibus motus principijs, animam rationalem, quæ per [l] accidens mouetur a seipsa, corruptibilem poneret, contra decreta propria sæpius alibi [m] prolata, nisi supponeret facultatem motricem, seu animam, qua motrix est, esse corruptibilem; licet quatenus est intellectiua, sit separabilis a corpore, atque prorsus incorruptibilis. Denique vero in anima rationali longe aliud est esse principium informatiuum corporis, & esse intellectiuum; sane attributum informationis est corruptibile, atque ab anima separabile; quia dum est extra corpus, non habet rationem principij informatiui; sed esse intellectiuum est ab anima penitus inseparabile; quia & in corpore, & extra corpus semper est principiũ intellectiuum; adeoque sapienter ait Aristoteles hoc [n] solum esse a corpore separabile in anima, quod dicitur principium intellectiuum; quum alia omnia sint inseparabilia penitus a corpore, vt esse motiuum, & esse informatiuum; nam motiuum non est nisi subiecti corporis, & informatiuum principium non est anima nisi substrati corporis. Falsis itaque fundamentis nititur argumentum viri Florentis: quare non demolitur nostram sententiam, qua comprobauimus animam rationalem demortui non habere naturalem potentiam ad corpus denuo subeundum.

i 3. de an. t. 4 & seqq.

k 8. phy. t. 5[2]

l 1. de an. t. 6[…]

m 2. de an. [t.] 21. 3. de an. t. […]

n 2. de an. t. 2[…] 3. de an. t. 20.

Tertia solutio primæ ratiocinationis viri Florentis detegit vitium paralogismi. Cap. III.

SEd neque carere videtur argumentatio proposita contra nostram thesim vitio parallogismi; siquidem in elenchorum genere constituitur ex quatuor terminis; etenim quum longe sit aliud, animam separatam posse rursum vniri corpori, & animam eamdem posse informare, actuareque corporis materiam, cui coniuncta fuerit; tum quia coniunctio animæ cum corpore prior est, saltem natura, quam sit informatio corporis ab anima; non enim anima potest informare, perficereque corpus, nisi prius illi ab agente copulata fuerit: tum maxime quia reunio animæ cum corpore est pura passio animæ ab agente ipsam corpori reconiungente, vt ita dicam; sed informatio est actio animæ in corpus, & formæ in materiam: modo nos asserentes, Animam rationalem non habere naturalem potentiam vllam ad corpus denuo subeundum, vbi per mortis gladium fuerit a corpore separata, loquimur de potentia naturali passiua, qua dicitur anima copulati cum corpore ab agente externo in animam operante: vir autem Floridus nobis opponẽs, animam demortui a corpore separatam esse naturaliter informatiuam, & actuatiuam corporis & materiæ; tractat de potentia actiua ipsius animæ in corpus. Ego quidem negans animæ rationali separatæ per obitum hominis a corpore potentiam naturalem passiuam, qua corpori sit iterum vnibilis, nihil omnino lædor ab insigni viro probare satagente, rationali animæ demortui a corpore separatæ inesse potentiam actiuam iterum informandi corpus; quare conatur siccitatem destruere calore; passiuæ qualitati actiuam opponens. Neque sane vitium huius parallogismi vitare poterit, etiamsi dicat, huiusmodi potentiam actiuam informandi corpus præsupponere potentiam passiuam in anima ad vnionem cum corpore subeundam; neque tale refugium satis est Florenti viro ad probãdum suum propositũ; & hoc duplici ratione: vna quidem est, quia potentiarum subordinatarum vtcumque, si posterior naturalis est, nõ ideo prior, sine qua posterior esse non potest, itidem naturalis est: adeoque non est necesse vtrasque eiusdem ordinis esse; quia materia prima, quæ potentiam habet ad omnes formas in se recipiendas,

recipiendas, tam naturales, quam artificiosas; etsi non possit formas artificiosas in se recipere, quin prius in se naturalem formam aliquam admiserit; etenim artifex nullus vnquam artificiosam formam procreabit in materia non habente formam naturalem; vt colligitur ex [a] Aristotele: Quum igitur etiam vel Diuo [b] Thoma notante, Materia non habeat potentiam naturalem ad formas artificiosas; habeat attamen potentiam naturalem ad formas physicas: iam potentiarum subordinatarũ altera potest esse naturalis; altera non naturalis: Et sane Diuus Thomas, cuius asseclam se profitetur vir egregius, id ait agens de materia naturali citatis verbis, *Et ideo dicendum est quod in rebus naturalibus eo modo est principium motus, quo eis motus conuenit; quibus ergo conuenit mouere, est in eis principium actiuum motus; quibus autem competit moueri, est in eis principium passiuum, quod est materia: Quod quidem principium, in quantum habet potentiam naturalem ad talem formam & motum, facit esse motum naturalem: Et propter hoc factiones rerum artificialium non sunt naturales; quia licet principium materiale sit in eo, quod fit; non tamen habet potentiam naturalem ad talem formam.* Ex quo loco Diui Thomæ duo colliguntur a nobis militantia, sententiam & ratiocinationem viri præclari destruentia; quorum vnum est, Ad motum naturalem solum, non item ad artificialem, aut alium quemuis, præcedere potentiam naturalem in materia mobili; vt eiusdem conditionis omnino sit motus, & potentia passiua in mobili; nimirum vt vtrumq; sit naturale, vel vtrumque non naturale, siue sit infra naturam artificiale, siue supra naturam Theologicum: Quum ergo resurrectio mortuorũ, & reunio rationalis animæ defuncti cum corpore, non sit motus [c] naturalis, at supernaturalis; proinde potentiam in anima rationali defuncti ad reunionem cum corpore non esse naturalem, sed supernaturalem. Alterum est, inter duas potentias in eadem materia subordinatas non necessario intercedere proportionem talem; quod si potentia posterior est artificiosa, prior ab ea præsupposita debeat esse similiter artificiosa; sique posterior est naturalis, prior, quam illa supponit, debeat item esse naturalis; adeoque vir egregius non potest colligere potentiam animæ rationalis demortui ad corpus iterum subeundum esse naturalem; etiamsi concederemus.

a 2. phy. t. 2.
b 2. phy. l. 1.
c 1. de an. t. 4

mus illi, rationalem animam post obitum a corpore seiunctã habere naturalem potentiam actiuam corpus iterum animãdi, & actuandi. Altera vero ratio est, quia rationalis anima post obitum hominis a corpore separata non habet vere potentiam actiuam pure naturalem iterum actuandi, animandi, viuificandique corpus humanum, seu gloriosum sumas in Empyreo, seu damnatum in barathro; sed solum supernaturalem, siue moralem, ac politico-diuinam, & logicam, triplicem ob causam; vna quidem est ex parte corporis, altera vero ex parte animæ, tertia demum ex parte hominis compositi: ex parte quidem corporis, quoniam omnis potentia naturalis actiua formæ respicit materiam dispositam dispositione naturali; siquidem Aristotele doctore, [d] *Videtur in patiente, & disposito actiuorum inesse actus:* & [e] *vniuscuiusque actus in eo quod potentia existit, & in propria materia, aptus natura est fieri*: dispositiones autem naturales non possunt præparare materiam, efficereque propriam ad actus supernaturales; quia nihil agit vltra suas vires; & viciffim dispositione supernaturali non innititur fundaturue potentia mere naturalis: modo corpus post resurrectionem in vltimo Iudicio vel est gloriosum, vel hominis damnati; profecto rationalis anima non habet naturalem potentiam ad informãdum corpus gloriosum; etenim gloria est dispositio supernaturalis, qua niti non potest potentia naturalis, seu quæ relationem habere non potest ad animæ rationalis potentiam informatiuam pure naturalem: ideoque rationalis anima defuncti non habet naturalem potentiam ad informandum corpus beati; sed solum supernaturalem, nimirum gratiam consum matam, qua eleuatur ad id anima rationalis, vt digne valeat animare ac informare corpus gloriosum. Similiter corpus damnati pœnis æternis obnoxium est, adeoque perpetuo durabit incorruptibile; ceterum anima rationalis non habet naturalem potentiam ad animandum & informandum corpus idem numero semper in æternum; seu eadem numero portio materiæ primæ non habet dispositiones naturales ad hoc vt ab eadem numero forma semper in æternum actuetur, & informetur: nam Aristoteli [f] Materia est subiectum, quod idem quandoque subijcitur vni formæ, quandoque alteri, non semper eidem: quare rationalis anima damnata, dum

d 2. de an. t. 24.
e tex. 26.
f 1. de ge. t. 22

dum extra corpus degit, habet potentiam, non quidem naturalem sed moralem, vt g diximus, ac Politico-diuinam, quę supernaturalis est, ad resumendum, & informandum corpus æterna pœna puniendum. Ex parte vero animæ similiter idipsum asserendum est, quoniam anima rationalis viribus naturæ suæ copulatur materiæ, corporiue separabiliter; est enim naturaliter forma separabilis a materia; vt h sæpe nos admonet Aristoteles; vniturque secundum naturam ipsi materiæ separabiliter, non autem inseparabiliter, ad omnium aliarum formarum, animarumque differentiam. Quum autem post vltimum Iudicium corpori siue beati, siue damnati rationalis anima coniungatur inseparabiliter in æternum; iam dicendum est, Animam rationalem a corpore defuncti separatam habere potentiam informandi, & animandi corpus tum felicis, tum etiam infelicis hominis in æternum, nō quidem naturalem, sed supernaturalem, siue Diuino-politicam, atque moralem, vt patratorum facinorum in vita mortali contra vel erga Deū condigne sumat æternam retributionē; quare supra naturæ vires corpori subdito conciliat vitam perennem ex Diuina iustitia, vel gratia. Ex parte demum hominis totius compositi hoc idem dicendum est, quoniam hominis natura corruptibilis est, physicaque duratio finita, & æuum hominis vniuscuiusque naturaliter est limitatum; vt ait Aristoteles; cui i *Et in æquali tempore corruptio, & generatio, quæ secundum naturam: ideo & tempus, & vita vniuscuiusq; numerum habent; & hoc determinantur: omnium enim est ordo; & omne tempus, & vita mensuratur circuitu: sed tamen non eodem omnia; sed hæc quidem minori, hæc autem maiori; his enim maior; alijs autem minor circuitus est mensura*. Sic igitur naturalis vita hominis, adeoque permansio naturalis & physica rationalis animæ in corpore, seu viuificatio, informatio, animatioque corporis humani physica & naturalis ab anima rationali est finita & limitata, non æterna & perennis; id quod vel ex eo constat, quod homo secundum naturam spectatus, siue in puris naturalibus consideratus, est corruptibilis, caducæ naturæ; definiturque physice animal rationale mortale; vt ait vel ipse k Porphyrius: Quum igitur hominis vita post resurrectionem, ac vltimum Iudicium, sit vt æterna, ita non-naturalis, sed supernaturalis ad infinitam vel felicitatem

g lib. 1. cap. [illegible]

h 2. phys. t. 2[illegible] 2. de an. [illegible] 21. 3. de an. t. [illegible] & alibi pa[illegible] sim.

i 2. de ge. t. 57

k cap. de diff.

ex Diuina gratia, vel infelicitatem ex Diuina iustitia: profecto rationalis anima post interitum hominis a corpore separata non habet potentiam naturalem ad huiusmodi vitam perennem in humano corpore promouendam; sed obtinet ad id potentiam solummodo supernaturalem, siue Politico-diuinam, vt *a* antea notauimus. Ita ergo primum argumentum præclari Floridique viri totum negari debet; quum & in materia peccet, nixum vtrisque propositionibus falsis; & in forma laboret vitio parallogismi constitutum ex quatuor terminis. Age nunc ad alias eiusdem viri ratiocinationes accedamus.

a lib. 1. cap. 4.

Secundum argumentum viri Præclari diluitur, ostendendo rationalem animam post obitum hominis a corpore separatam non ideo naturalem habere propensionem ad corpus denuo subeundum, quia de se sit ens incompletum naturaliter appetens sui complementum. Cap. IV.

DEinde vero contra nostram thesim proponebatur hoc aliud argumentum, Anima rationalis per mortem hominis a corpore separata de se est ens incompletum: sed omne ens incompletum desiderat appetitu naturali suum complementum; perinde ac ex *a* Aristotele quodcumque turpe desiderat fieri pulchrum: igitur anima rationalis post hominis obitum a corpore separata naturalem habet inclinationẽ ad corpus denuo subeundum, cui copulata perfectior est, & magis completa, quam ab eo separata. Ceterum huic argumento concedentes, omne ens incompletum naturali quodam appetitu desiderare sui complementum: Negamus animam rationalem post hominis interitum a corpore separatã esse quoddam ens incompletum, eamque sibi comparare a corporis consortio perfectionem aliquam: Ratio quidem negationis multiplex est; vna ducitur ex Aristotele scribente melius esse rationali animæ nostræ non cum corpore esse, his notis, *b Laboriosum autem est, & commistum esse corpori, non potens absolui; & præterea fugiendum: siquidem melius est intellectui non cum corpore esse; quemadmodum consuetum est dici, & multis placet.* nimirum hæc non proponit Aristoteles de Diuino

Ro. 11.

Sol. 1.

a 1. phy. t. 81.

b 1. de an. t. 49

uino Intellectu, neque de cælestibus Intelligentijs; quia mētes illę de sententia Magistri nunquam a corpore cæli separantur, sed in cælo semper c insunt motrices, & gubernatrices: nec d laboriosam habent perpetuam sphærarum circumuolutionem; nec ex perenni motu, quem edunt, sibi turbatur vllo modo felicitas, vllaue aduenit sibi e violentia: Quum enim motus cælestis a Primo-Mouente fiat, qui Motor est in Mundi f circumferentia, scilicet in corpore circulari, vbi est motus velocissimus: cæli motum Aristoteles ait fieri sine labore ac sine violentia per totam æternitatem ab Intelligentia primo-Mouente: sed loco g citato tractat Philosophus de nostro intellectu, qui labem contrahit ex corporis cōtagione, a quo impeditur ne h semper intelligat, ne res assequatur intime semper ac i exacte, & ne semper k veritatem percipiat: *Laboriosum* igitur *est & commistum esse corpori* nostrum intellectum, adeo vt a corpore sit non *potens absolui: & praeterea fugiendum* est tum dicere, Intellectum humanum a corpore, cui copulatus est, separari non posse; tum ipsimet intellectui semper in corpore manere; tum dissentire ab Antiquis l recte dicentibus, Animam intellectiuam esse a corpore separabilē; vnde constat hoc esse dogma, quod nō est m euitandum, tamquam non dictum bene, sed accipiendum: immo fugiendum est, ipsum euitare; quia vt verissime, sic optime dictum est ab n Alemæone, veteribusque multis alijs, intellectricem animam esse immortalem, & a mortali corpore separabilem; in quo velut in carcere detinetur; nam vnumquodque sui perfectionem prosequitur, & laborem euitat; Naturaque semper efficit quod o melius est: cuius dicti rationem assignat Aristoteles immediate subdens, p *siquidem melius est intellectui non cum corpore esse;* a corpore namque mens impeditur ne q sempiterna, & r continua intellectione perfruatur, & ne veritatem s semper assequatur, dum intelligendi munere fungitur: Quam theoriam Aristoteles tamquam veritati consentaneam a senioribus Philosophis propositam recipit, & amplectitur, inquiens, *quemadmodum consuetum est dici* a vetustioribus, *& multis placet* etiam Aristotelis æuo viuentibus; adeo namque verum est, & adeo certum & euidens, Melius esse humano intellectui non esse cum corpore, & fugiendum esse dicere, intellectum eumdem non posse a corpore separa-

c 8. *phy. t.* 73. *&* 84.
d 2. *cal. t.* 3. *& seqq.*
e 9. *meta. t.* 17
f 8. *phy. t.* 84.
g 1. *de an. t.* 49
h 3. *de an. t.* 16
i 3. *de an. t.* 36
k 2. *de an. t.* 151.
l 1. *de an. t.* 32.
m 1. *de an. t.* 19
n 1. *de an. t.* 32
o 1. *de ge. an. cap.* 4. *de an. inc. cap.* 10.
p 1. *de an. t.* 49
q 12. *meta. t.* 51.
r 3. *de an. t.* 16.
s 2. *de an. t.* 151.

ri; ac penitus absolui, vt communiter id ab omnibus fere prædicari consueuerit, & multis Philosophis, Platonicis præsertim placeat; quod nos olim latius explicauimus tractantes de *t* Immortalitate rationalis animæ. Secunda ratio negationis depromitur ex eodem Aristotele, de humano intellectu talia dicente, *u Separatus autem est solum hoc, quod quidem est*, alij legunt, *quod vere est*; quia dum in corpore est, non vere est, sed *x* inest, tamquam *y* pars in toto; atque adeo est imperfecte, ac diminute: Quam sententiam ab Aristotele proponi pariter de nostro intellectu, non autem de Diuino, cumulate probauimus *z* alibi ex eo potissimum, quia Diuinus Intellectus nunquam separatus est a corpore Mundi, cui semper assistit *a* gubernator omnium; nec vllam sibi ex tali assistentia gubernationeque contrahit imperfectionem; vt vicissim humanus Intellectus ex degentia in corpore, per quam ex immobili simpliciter fit mobilis per accidens, ex intelligente *b* semper fit solum *c* intellectiuus, & ex sciēte fit *d* opinatiuus: Perfectior igitur est anima post hominis obitum extra corpus, quam in corpore degens. Tertia ratio negationis habetur itidem ex Aristotele, cui vasta corporis moles tardiorem reddit humanam mentem ad operandum; ait enim citatis verbis, *e Homo vice pedum priorum brachia, & quas manus dicimus, habet; solus enim animalium omnium erectus est; quoniam eius natura, atque substantia diuina est: officium autem diuini est intelligere, atque sapere; quod non ita facile esset, si vasta corporis moles assideret: pondus enim tardiorem reddit & mētem*, &c. nimirum intellectricis animæ nostræ proprium officium est intelligere, atque *f* sapere; quia tales operationes fiunt a solo intellectu citra ministerium corporis; id autem ex eo conuincitur, quia vasta moles corporis non minus hic officere dicitur intellectioni ac sapientiæ; quam *g* alibi dicta sit ijsdem operibus mentis obesse carnium durities; vnde concessit in prouerbium, Longos homines raro sapientes esse: verum hac de re fusius egimus in opere de *h* ferijs Altricis Animæ: Labem itaque contrahit humanus intellectus ex contagione corporis; adeoque per mortem a corpore separatus non est ens incompletum appetens compleri per nouam vnionem cum corpore. Quarta ratio negationis colligitur ex Aristotele pariter asserente, Intellectum humanum, dum in corpore

t lib. 3. cap. 4.
u 3. de an. t. 20
x 7. meta. t. 2.
y 4. phy. t. 23.
z 4. de im. an. ca. 2. & 3.
a 12. met. t. 56
b 12. met. t. 51
c 3. de an. t. 16.
d 2. de an. t. 151.
e 4. de part. cap. 10.
f 3. de an. t. 2.
g 2. de an. t. 94.
h disput. 9.

re degit, non bene se habere; sed optime se habere, dum a corpore separatus fuerit; tunc enim non habet adiunctam sibi materiam, ideoque prorsus indiuisibilis est ab actu intelligendi, & per totum æternum sui æuum semper fruitur sui ipsius intellectione; quam [i] alibi monuerat a materiali corpore rationali animæ copulato [k] sæpius interrumpi: Magistri sunt hæc aurea verba in proposito, [l] *An omne non habens materiam indiuisibile est? quemadmodum humanus intellectus, aut qui compositorum in aliquo tempore se habet: nam non bene esse habet in hoc, aut in hoc: verum in toto quoddam, quod optimum est; aliud ab eo existens: Sic autem ipsa sui ipsius intellectio per totum æternum se habet.* Quorum fusius* infra explicandorum breuis nunc ea est explicatio, vt demonstrare volens hic Aristoteles, Omne non habens materiam esse indiuisibile a sua operatione; propter eaque omnem intellectum separatum, adeoque Deum, cuius [m] nupertime speculationem instituerat, semper intelligere, ac nunquam intermittere speculandi functionem; per locum topicum a minori ad maius, in argumentum accipit humanum intellectum, qui aliquando est in materia, & aliquando est ab ea separatus; vt [n] olim admonuerat; & dum est in materia, non semper intelligit; sed plerumque functionem hanc suam interrumpit: vbi vero est a materia separatus, indesinenter intelligit æterno tempore: Quæ omnia mirifice nunc edocet Aristoteles, inquiens, [p] *An non omne habens materiam indiuisibile est?* scilicet omne principium immateriale, quod nimirum non habet materiã sibi coniunctam, inseparabile prorsus est a sua functione, atque quum omne carens materia sit intellectualis natura; quippe cuncta, præter intellectum, necessario materiam adiunctam habent; sane intellectus omnis a materia separatus est indiuisibilis ab operatione sua, proindeque inseparabilis ab actu intelligendi; quare semper intelligit, dum a materia separatus est: sed quoniam intellectus alij semper sunt a materia separati, vt Deus Optimus, & secundæ intelligentiæ nuncupatæ (si formaliter accipiantur sub ratione intellectus; nam sub ratione Primi-Mouentis sunt semper cum materia mobili, cui nunquam non assistunt, copulati) alij vero non semper, vt Intellectus humanus; ostendit hoc Aristoteles illico subdens, *Quemadmodum humanus intellectus, aut qui compositorum*

i 3. de an. t. 16
k 1. de an. t. 151.
l 12. met. t. 51
* cap. 5.
m 12. meta. t. 51 init.
n 2. phy. t. 26
o 3. de an. t. 16
p 12. met. t. 51

positorum in aliquo tempore se habet, videlicet humanus intellectus, aut consimilis intellectus in Satyris, & Faunis, alijsq; huiusmodi, aut animantibus mortalibus homine nobilioribus; de quorum intellectu iuncto cum sensu sermonem habuit alio in loco Magister; quia vtriusque generis hic intelle-
q 2. de an. t. 29.
ctus, sed speciatim, ac euidenter humanus se habet tamquam forma & pars essentialis compositorum hominũ, & Satyrorum, in aliquo tempore, non autem in tota sui duratione: sed quia labem contrahit aliquam a corporis consortio contagioneque; propterea *non bene esse habet* intellectus humanus *aut in hoc* indiuiduo homine, cuius est pars; *aut in hoc* singulari humano corpore, cuius est compars, & forma; quandoquidem cuiusque rei perfectio, ac bene esse, *f* Aristotele
f 5. de gen. an. cap. 1.
doctore, est fungi suo munere; intellectus autem subcælestis in corpore degens impeditur a materia tum ne intelligendo semper assequatur veritatem, sed plerumque *t* decipitur; vt
t 2. de an. t. 151.
late probauimus ex Aristotele in libris nostris De *u* vita; tum
u l. 6. 2. ca. 27
ne possit *x* semper intelligere, sed cogitur sæpenumero suam
x 3. de an. t. 16
operationem intelligendi intermittere; non solum quia frequenter auocatur a speculatione ad corporis custodiam, gubernationem, atque tutelam ab externis iniurijs, periculisq; quapropter vasta corporis *y* moles dicitur officere intelle-
y 4. de part. cap. 10.
ctioni, & pondus materiæ tardiorem reddere mentem; vt nuper obseruauimus apud Aristotelem; & non raro mens a tu-
z 7. phy. t. 20
multibus & a motibus in corpore factis turbata *z* prohibetur vacare rerum cognitioni, meditationique: sed etiam quia plerumque priuatur intellectus noster præsentia formarum,
a 3. de an. t. 15
seu specierum actu *a* intelligibilium, sine quibus obiecta sibi representãtibus in corpore degens vniri nequit obiectis, nec ea propter ipsa speculari, aut intelligere; quum intellectio sit vnio, vel non sine vnione facultatis intelligentis cum obiecto intelligibili. *Verum* intellectus idem humanus *existens aliud ab eo* corpore, cui aliquando copulatur, tunc a corpore separatus, non amplius in composito pars, sed *in toto* Mundo magno existens *quoddam* integrum ens per se subsistens, *est quod optimum* in suo genere, seu optime se habet, ac semper intelligit; quod Aristotel addit, *Sic autem ipsa sui ipsius intellectio per totum æternum se habet*; quum nullam obtineat sibi cõiunctam materiam, a qua impediatur ne iugiter intelligat:

Intel-

Intellectum autem humanum a corpore separatum dici quid in toto mundo existens, & materiali corpori copulatum dici non amplius in Vniuerso, sed potius in corpore, in materia, & in composito, modus erat loquendi veterum, approbatus ab Aristotele, qui sumit ex Orphicis carminibus, *b* Animam intellectiuam ex toto ingredi corpora respirantium animalium delatam a ventis; & paullo post ait, *c* Antiquos dicere ipsam animam esse mistam in toto; vnde fortasse Thaletem opinatum omnia esse plena Dijs; veteres enim animas a corpore separatas appellabant Deos. Si ergo humanus intellectus, qui aliquo tempore suæ durationis est in materia, dum est aut in hoc homine, aut in hoc humano corpore constitués hominem, non bene esse habet, quoniam non semper intelligit, nec, dum intelligit, semper veritatem assequitur; dum vero est in toto mundo ens absolutum, separatus a corpore optimum quid est, semper intelligens per totum æternum, & intelligendo semper assequens veritatem: multo magis dicendum est Intellectus Diuinos, qui vt Intellectus nullo vnquam tempore sunt in materia, sed ab ea perpetuo separati consistunt in mundo *d* intelligibili, semper intelligere; proindeque verum esse dogma, Omne materiam nó habens esse indiuisibile a sua operatione; vicissimque falsum esse placitum viri docti, quo statuit, rationalem animam post hominis obitum a corpore separatam, esse quoddam ens incompletum, & imperfectius, quam dum erat in corpore. Quinta demum ratio negationis colligitur ex rei natura, quoniam præstantiores operationes arguunt essentiam, a qua proueniunt, perfectiorem; & nobiliores affectiones ostendunt essentiam, in qua insunt, digniorem; vt clare nos edocet Aristoteles; qui hoc vnum fundamentum ponit basim totius ædificij tum de animæ *e* separabilitate, ac immortalitate; tum de corporum cælestium *f* nobilitate supra subcælestia corpora cuncta: modo rationalis anima post hominis interitum a corpore separata functiones habet longe præstantiores, & affectiones multo nobiliores, quam dum inest in corpore; primum quidem, quoniam anima separata semper intelligit per totum *g* æternum, vt ait Aristoteles, ac nunquam intermittit intelligendi functionem; quum eadem anima prius in corpore degens non semper *h* intelligeret, sed cogeretur a materia

subiecta

b 1. *de an. t.* 86
c *tex.* 89.
d 12. *met. t.* 37
e 1. *de an. t.* 12. 13. & *seqq.*
f 1. *cæl. t.* 12. 13. & 16.
g 12. *met. t.* 51
h 3. *de an. t.* 16.

subiecta sæpe diuque intelligendi munus abrumpere, ac interpellare: nobilior est autem intellectio iugis atque perennis quam abrupta & interpellata; meliusque est assidue speculari, quam interrupte, ac raro. Deinde vero, quoniam anima rationalis a corpore mortali separata nunquam decipitur intelligendo; siquidem omnis error & deceptio non aliunde prouenit, quam a materia; cum qua nullum omnino commercium habet anima rationalis post interitum hominis a corpore seiuncta; quum eadem anima prius, dum in corpore degebat, plerumque deciperetur, falsas opiniones induens; quod & Aristoteles testatur inquiens, *i Omnes enim hi intelligere corporeum, sicut & sentire existimant: & sentire, & sapere simile simili, sicut in primis rationibus determinauimus: Et tamen oportuit simul ipsos & de deceptione dicere; magis propria enim est animalibus; & plus temporis in hac permanet anima: Vnde necesse est, aut, vt quidam dicunt, omnia, quæ videntur, esse vera; aut dissimilis rei tactum deceptionem esse: hoc enim contrarium est illi, simile simili cognoscere. k Quod igitur non idem sit sapere, & sentire, manifestum est; hoc enim animalibus inest omnibus, illud autem paucis. Sed neque intelligere, in quo est quod recte, & quod non recte (quod enim recte, prudentia, & scientia, & opinio vera; quod vero non recte, contraria horum) neque hoc inquam est idem cum ipso sentire: sensus enim propriorum semper verus est, & omnibus inest animalibus; intelligere autem contingit & falso, & nulli inest, cui non insit ratio:* Intellectio vero, quæ sine deceptione, semperque veritatis particeps est, præstantior habetur cognitione falsa, deceptoriaque opinione. Deinceps autem, quoniam anima rationalis post obitum hominis a corpore separata *l* penitus est immobilis physice; quum in corpore degens sit *m* mobilis, saltem peraccidens; est autem motus Aristoteli actus *n* imperfectus; & immobilitas connumeratur inter perfectiones Primi-Mouentis, ac summi Dei, non solum ab *o* Aristotele pluribus in locis; verum etiam ab alijs omnibus, qui cum Boetho Deum adorantes hymnum huiusmodi concinunt in Consolatione *p* Philosophica,

O qui perpetua Mundum ratione gubernas
Terrarum, cælique sator, qui tempus ab æuo
Ire iubes, stabilisque manens das cuncta moueri.

i 3. de an. t. 151.

k 3. de an. tex. 152.

l 3. de an. t. 66

m 1. de an. t. 61.

n 3. phy. t. 15.

o 8. phy. t. 40

12. phy. t. 73.

8. phy. t. 45 & seqq.

1. cæl. t. 100

p li. 3. metr. 9.

Sic igitur immobilitas est affectio præstantior mobilitate; proindeque rationalis anima melius se habet extra corpus, vbi degit omnino immobilis physice, quam in corpore, in quo euadit physice mobilis per accidens. Itaque rationalis anima separata a corpore per mortem hominis non est ens incompletum, vt debeat naturaliter appetere vniri cum corpore, quo compleatur; sed viciſſim eſt ens abſolutius, & perfectius rationalis anima dum extra corpus eſt, quam dum ineſt in corpore. Denique vero quam, quæſo, perfectionem, quodnamue complementum anima, potiſſimum rationalis, quæ animarum omnium eſt q perfectiſſima, ſuſcipiat a corpore? certe forma complet, perficitque materiam; non viceuerſa materia perficit formam; qua de re latius agimus in opere r De animorum Immortalitate. Quibus adijciendum nunc illud eſt in propoſito, quod quum vel Ariſtoteli quoque defunctorum animæ ponantur in duplici ſerie; quia defunctos alios felices ait, alios infelices; ad quos quum ſtatuat nonnihil attinere fortunas amicorum, & poſterorum viuentium; non ita tamen, vt infelices defuncti poſſint ob amicorum viuentium bona de ſtatu miſeriæ perduci ad ſtatum felicitatis; nec vt felices de ſtatu beato transferri valeant in calamitatem; ait enim, ſ *Magis autem fortaſſe dubitandum eſt de vita defunctis; an boni alicuius, vel contrarij poſſint eſſe participes: Videtur enim ex his etiamſi pertingat ad ipſos quippiam, ſiue bonum, ſiue contrarium; exile quoddam, ac paruum id eſſe, vel abſolute & ſimpliciter, vel ipſis: ſin minus, tantum ſaltem, ac tale, vt neque felices eos, qui non ſunt, facere; neque eos, qui ſunt, priuare felicitate poſſit. Conferre igitur quid defunctis proſperi amicorum ſucceſſus videntur; ſimili modo etiam infortunia; ita tamen ac tantum, vt neque felices reddere infelices, neque quippiam tale efficere valeant.* Hæc inquam quum ſtatuat Ariſtoteles, nobis anſam dedit in propoſito conſiderandi defunctorum animas tum felices, tum infelices; profecto miſeræ, ac infelices animæ damnatorum non habent vt aliquid boni ſibi ſperent a corporis reaſſumptione; quum eiſdem miſeria geminanda ſit poſt reſurrectionem; quare non appetunt appetitu naturali, nec vllo alio, ſed horrent, & oderunt iterum vniri corpori. Felices autem beatorum animæ cupiunt quidem corpori denuo conſociari; ſed non appetitu naturali, de

q 1. de an.

r lib. 3. ca

ſ 1. Ethic.

quo disputationem habemus, verum appetitu supernaturali seu Diuino-morali; quoniam talis earum appetitus dirigitur in bonum supernaturale; scilicet in gloriam accidentalem animæ; seu in nouum gradum gloriæ, quem sibi conquirit anima ex vnione cum corpore glorioso; nam appetitus appellatur, ac determinatur a fine, vt aliæ functiones omnes, sique vt alia omnia, decretis Aristotelis. Ita ergo falso nititur fundamento secundum argumentum præclari, Florentisque viri, probare satagentis Animam post hominis obitum a corpore separatam habere naturalem potentiam, & physicam inclinationem ad corpus denuo subeundum, quasi extra corpus sit ens quoddam incompletum, & imperfectum, naturali quodam appetitu propendens, & inhians ad sui perfectionem, & complementum.

Tertia difficultas viri Docti, dicentis Animæ rationali post hominis interitum a corpore separatæ non inesse physicam inclinationem ad corpus denuo subeundum, quia sit pars essentialis humanæ naturæ; adeoque in potentia naturali ad integritatem sui totius; eluitur ostendendo primum, Animam rationalem, quæ in corpore fuerat pars hominis, a corpore seiunctam non amplius habere naturam, & rationem partis. Cap. V.

Postea vero nostræ positioni vir Doctus obijciebat, Animã rationalem post hominis interitum a corpore separatam de se esse partem totius hominis essentialem, adeoque partẽ totius compositi physici naturalem: at vero partem quamlibet habere naturalem potentiam, & inclinationem physicam ad integritatem, & ad totum suum constituendum: proindeque rationalem animam post hominis interitum a corpore separatam adhuc habere in se naturalem potentiam ad corpus denuo subeundum, retinereque propensionem physicam ad ingrediendum iterum corpus. Ceterum nec ista ratio demolitur nostram positionem, nec satis firmat oppositam opinionem: enim vero primum concedentes disputationi, Partem quamlibet habere naturalem potentiam, & physicam inclinationem ad suum totum, & ad integritatem eius constituendam; proindeque ad vnionem cum alijs partibus, quibus consociata promouet integritatem totius; Negamus, Animam,

[Left margin, beside line 8: ..de an. t. 49]
[Right margin, beside "Postea": Rõ. III.]
[Right margin, beside "ad ingrediendum": Sol. 1.]

nimam, quæ dudum in corpore fuit pars hominis integri, separatam a corpore pariter esse partem, seu conseruare in se rationem & naturam partis: Profecto rationalis anima, dum inest in corpore, tunc est pars essentialis totius hominis, qui ex anima & corpore constituitur; verum a corpore seiuncta, eadem anima non amplius est pars vllo modo, sed est totum quid integrum sui generis, nimirum substantia simplex incorporea per se subsistens; quod & ratio comprobat, & clare nos edocet Aristoteles: ratio quidem id comprobat ex rei natura petita, & ab Aristotele considerata nō vno in loco, cui primum talia scribuntur, a *Plantæ autem, & animalium multa diuisa viuunt: & videntur eamdem habere animam specie.* ac mox. b *Videntur autem & plantæ viuere diuisæ, & animalium insectorum quædam, tanquam eamdem habentia animam specie, etsi non numero: vtraque enim partium sensum habet, & mouetur secundum locum ad aliquod tempus.* c *Si autem non permanent, nullum inconueniens est: instrumenta enim non habent, quibus saluent naturam; sed nihilominus in vtraque partium omnes inexistunt partes animæ; & eiusdem speciei sunt ad inuicem, & toti; ad inuicem quidem, tanquam quæ separabiles non sunt; toti autem animæ, tamquam indiuisibili existente.* Et adhuc postea, d *Sicut enim in plantis quædam diuisæ videntur viuere, & separatæ ab inuicem, tamquam existente in his anima, actu quidem vna in vnaquaque planta, potentia autem pluribus: sic videmus & circa alias differentias animæ accidere in his, quæ inciduntur in insectis; etenim sensum vtraq; partium habet, & motum secundum locum: si autem sensum; & imaginationem, & appetitum: vbi enim sensus est; & dolor, & voluptas consequitur: vbi autem hæc sunt, ex necessitate & desiderium est.* Ex quibus non vnica ratio propositæ negationis habetur, Prima quidem, quia si planta quælibet vnam tantum habet animã dum integra est; deinde post plantæ diuisionem dissectionemque plures in ea numero sunt animæ; id profecto contingit, quoniam anima vna illa totius plantæ diuiditur per accidens ad partitionem subiecti corporis; propterea que rami ab arbore auulsi anima non amplius est pars animæ, sed tota quædam anima; vt vere quæ in ramo plantæ coniuncto fuerat pars animæ totam plantam priorem animantis, per solam separationem rami a trunco fiat, euadat, permaneatque semper in posterum anima integra

a 1. de an. t. 68

b tex. 93.

c tex. 94.

d 2. de an. t. 20.

gra in ramo auulso; nisi rursum scindatur ille ramus in plures taleas, partesque; de quibus eadem habenda est ratio: Non alia sane ratione lumbricus vnus in insectorum animalium genere integer vnicam habet animam toti suo corpori coextensam, quemadmodum late confirmauimus in opere De

c lib. 2. ca. 12. & seqq. c Animarum Coextensione corpori; qui lumbricus dissectus in duas partes medius, & vtrimque cicatrice obducta geminatus, patitur, & arguit animam suam prius vnicam in duas integras partiri; nam vterque lumbricus posterior, ortus per prioris diuisionem, suam seorsum habet animam integram, ab anima comparis alterius reuera distinctam; quum neutrius lumbrici posterioris anima sit amplius pars animæ, sicuti fuerat in illo priori nondum dissecto; sed integra vtraque, totaque gemina: Quum autem totum integrale sit sua quacumque

f 3. phy. t. 63. 1. cal. t. 3. parte *f* præstantius; certe necessarium est concedere animæ rationali post hominis obitum a corpore separatæ perfectionem illam integritatis, atque totius, qua prius destituebatur in corpore degens, vbi pars erat hominis; quia perfectionem huiusmodi conuenire modo cognouimus animæ vegetali, sensitrici, atque motiuæ degentibus infra rationalis animæ naturam in planta, & in lumbrico; quarum singularum vna pars dum ab alia separatur ad subiecti viuentis, corporisque partitionem, vtraque seorsum euadit totum quid, & efficitur anima quædam integra. Deinde vero, Si post dissectionem animalis insecti, in vtraque partium diuisarum

g 1. de an. t. 94 omnes inexistunt partes animæ, vt ait *g* Aristoteles; quum cui partes omnes animæ inexistunt, eidem insit neces-

h 4. meta. t. 31 sario anima tota & integra; nam totum *h* definitur, cui nulla pars deest; iam necessarium est confiteri partem animæ, quæ præfuit in cauda lumbrici, siue in medio lumbrico, post illius insecti diuisionem euadere in animam totam & integram, ac penitus exuere naturam partis: modo si talis perfectio conceditur vilissimæ brutorum imperfectiorum animæ, vt per separationem exuat imperfectionem partis, & induat complementum ac perfectionem totius; multo sane magis necessarium est cōfiteri *i* præstantissimam omnium animarum ra-

i 2. de an. t. 82 tionalem per separationem a corpore in hominis interitu amittere naturam partis hominis, & acquirere naturam substantiæ totius integræ in genere immaterialium, & incorporeorum.

reorum. Præterea Magister a nobis in presentia militat, expressis verbis constituens, Animam rationalem, dum corpori coniuncta permanet, esse partem hominis, vt pote compositi ex anima & corpore; ac tunc habere sui esse imperfectum, seu non bene se habere; dum vero separatur a corpore mens humana, proindeq; rationalis anima, tunc fieri totum quoddam integrum sui generis in vniuerso; & aliud quid existens a corpore, sortiri optimum esse in toto mundo; verba Philosophi, k superius breuiter explicata, nunc latius consideranda, sunt hæc ipsissima, *l Quum igitur non sit diuersum id quod intelligitur, & intellectus; quacumque non habent materiam idem erunt; ac intellectio vna eius, quod intelligitur. Item restat dubitatio, vtrum compositum sit, quod intelligitur; mutaretur etenim in partibus totius. An omne non habens materiam indiuisibile est, quemadmodum humanus intellectus, aut qui compositorum in aliquo tempore se habet: nam non bene esse habet in hoc, aut in hoc; verum in toto quoddam, quod optimum est, aliud ab eo existens: sic autem ipsa sui ipsius intellectio per totum æternum se habet.* Primum sane dogma satis apertum est, & m alibi contestatum ab Aristotele, dicente, Quæ non habent materiam, ea tum simul esse naturas & intelligibiles, & intelligentes; tum seipsa intelligere; tum vnicam habere intellectionem non interpellatam, interruptamue, sed continuam, ac æternam; quando reipsa prorsum sine materia sunt. Alterum theorema quæstionem, seu dubitationem continet, *Vtrum compositum sit quod intelligitur,* scilicet, vtrum intellectus a materia separatus intelligat alia a se, cum quibus componatur, vt intellectiuum cum intelligibili; siue vtrum quod intelligitur ab intellectu a materia separato, sit quid ab eo diuersum reipsa, & in actu intellectionis cum eo compositionem faciat, compositumque sit; nam cognitio quælibet fit per coniunctionem compositionemque cognoscibilis obiecti cum facultate cognoscente: dum enim idem semetipsum intelligit, tunc quod intelligitur non est compositum cum eo, quod intelligit; nam idem cum semetipso non facit n compositionem; quia compositio semper est multorum consociatio: siue potius, Vtrum quod intelligitur ab intellectu a materia separato, sit non vnicum ac simplex ens, sed compositum, seu aggregatum ex omni ente, ac totum ipsum intelligibile ex omnibus intelligibilibus

k cap. 4.
l 12. met. t. 51
m 3. de an. t. 15. & 16.
n 4. meta. t. 3.

o 1. phy. t. 4. gibilibus speciebus compositum, ac veluti o partibus coagmentatum. Propositæ quæstionis, dubitationisue rationem affert pro parte negatiua Magister, destruens affirmatiuam, dum ait, *Mutaretur etenim in partibus totius*; nempe si separatus a materia intellectus intelligeret alia extra se; siue, si quod intelligitur ab intellectu a materia separato, compositum esset vel in actu intellectionis cum intellectu, vel ex omni ente natura sua intelligibili; quum vnus intellectus plura simul non intelligat; non semper eiusdem rei frueretur vnica intellectione; sed mutaretur de intellectione vnius entis intelligibilis, ad intellectionem alterius partis, seu speciei in eodem toto genere intelligibilium: Et qua ratione cessat ab intellectione vnius speciei, sic posset ociari ab intellectione cuiusuis alterius; adeoque valeret intermittere suum actum intelligendi; quare non haberet vnam semper intellectionē, neque continuam, atque perennem: non quidem vnam, quia functio intelligendi variatur ad obiectorum intelligibilium diuersitatem: neque vero continuam, quia repetitis intermissionibus interrumperetur: contra tamen nuperrime dixerat Aristoteles, in his, quæ non habent materiam, intellectionem vnam esse perennem, non autem multas interruptas. Hinc exacte soluit Aristoteles dubitationem, determinatque propositam quæstionem immediate subdens, *An omne non habens materiam indiuisibile est*, siue vt alij legunt, *non est diuisibile*: Particula quidem, *An*, frequens Aristoteli quæ-

p in problem. stiones p determinanti, q dubitationesque diluenti: *omne non*

q 3. de an. t. 14 *habens materiam*, non inquit, omne non vtens materia; sed omne non habens materiam, absolute, scilicet, nec vt sui partem constitutricem, ad excludenda composita ex materia & forma; nec vt substratum sibi subiectum, ad excludendas omnes formas existentes in materia, siue materia sibi subiecta vtantur velut instrumento ad operandum, cuiusmodi est anima sensitiua, siue non vtantur organo materiali, cuiusmodi

r 1. de an. t. 92 3. de an. t. 6. 7. est r intellectiua corpori consociata, Omne, inquit, non habens materiam *indiuisibile est*; & hoc trifariam; primo quidem, quia omne sic immateriale est natura simplex; nam omne compositum habet materiam, quia ex pluribus non fit vnum compositum, nec omnino vnum alteri compositum esse potest, decretis Aristotelis, nisi vel vnum se habeat ad alte-

alterum, vt ſ potentia ad actum; vel ambo ſint t vt s materia tertij compoſiti ex eorum vnione reſultantis; ita duobus ex dimidijs conſtituitur totum; & quatuor ex u elementis vnum componitur miſtum: compoſitum autem omne x totale ſemper eſt diuiſibile in ea, ex quibus coagmentatur; partiale vero eſt diuiſibile, ſeu y ſeparabile ab eo, cui compoſitum, conſociatumque dicitur eſſe; nam homo diuiditur in animam, & corpus; anima vero diuiditur, ſeu z ſeparatur a corpore, ſicut æternum a corruptibili; corpus viciſſim diuiditur ac ſeparatur ab anima, ſicuti corruptibile ab æterno. Deinde vero omne non habens materiam eſt indiuiſibile, quoniam eſt eſſentia indiſſolubilis ac æterna; ſiquidem a Ariſtoteli omne materiam non habens eſt perpetuum; & rebus non aliunde corruptio imminet ac ingruit ex neceſſitate, quam a b materia, quæ cunctis, quibus ineſt, cauſſa eſt vt eſſe & non eſſe poſſint, adeoque generationis & corruptionis. Deinceps autem omne materia carens eſt indiuiſibile, quia eſt eſſentia quædam inſeparabilis & indiuiſibilis a ſua operatione; ſiquidem materia vt eſt radix omnium imperfectionum, ita eſt cauſſa, vt ea, quibus adiungitur, perpetuam ac iugem non habeant operationem; eſt enim operatio, doctore c Philoſopho, perfectio, ſecundus nimirum actus operantium: Quin vt forma de ſe quum ſit actus primus, a quo natus eſt prouenire d ſecundus actus, eſt operatrix natura ſua; ſic a materia detrimentum hoc inter alia contrahit, ne poſſit ſemper ac indeſinenter operari; qua de re latius egimus in libris e De Vita. Quæ omnia ſtatim Ariſtoteles aperit, veraq; demonſtrat eſſe, argumento deſumpto a conditionibus intellectus humani, qui aliquando materiam ſibi habet adiunctam, dum in corpore degit, hominem in eſſe conſtituens; & aliquando materiam non habet vllam, dum a corpore ſeparatus remanet f immortalis poſt hominis interitum; ſubdit enim, *Quemadmodum humanus intellectus*; qui propterea quæſtionis & dubitationis propoſitæ determinationem & ſolutionem apte nobis aperire poteſt, quia quandoq; materiam habet, quandoque non habet; atque adeo materiæ copulatus a Phyſicologo conſideratur; a materia vero ſeparatus ad g Metaphyſicum pertinere dicitur ab Ariſtotele. Sic igitur intellectus humanus bifariam conſiderari poteſt, nimirum & in corpore

degens

ſ 2. de an. t. 7. 8. met. t. 16
t 7. meta. t. 49
u 1. de gen. t. 84. & ſeqq.
x 1. phyſ. t. 65. 6 meta. t. 3
y 1. de gen. t. 84.
z 2. de an. t. 21 3. de an. t. 7 20.
a 12. meta. t. 30.
b 1. phyſ. t. 82. 7. met. t. 22
c 2. de an. t. 2. & 5.
d 2. de an. t. 5. 6. & 10.
e lib. 2. ca. 27.
f 2. de an. t. 31 3. de an. t. 20.
g 2. phyſ. t. 26. 1. de an. t. 15. 17. 1. de part. cap. 1.

degens a Phyſico, & extra corpus a Primo Philoſopho: quod innuit commune fortaſſis eſſe cuipiam alteri, per notam diſiunctiuam addens, *aut qui compoſitorum in aliquo tempore ſe habet*; nimirum hic innuit Ariſtoteles intellectum ſatyrorũ, atque Faunorum, qui ſua tempeſtate colebantur, tamquam ſemidei mortales hominibus pręſtantiores; de quibus aperte meminit alio loco dicens, [h] *Exactius autem manifeſtandum de his poſterius eſt; nunc autem in tantum dictum ſit, quod animalibus habentibus tactum & appetitus inſit. De imaginatione autem immanifeſtum, poſterius autem conſiderandum. Quibuſdam autem adhac ineſt & ſecundum locum motiuum: alijs autem cogitatiuum, & intellectus, vt hominibus, & ſi quid aliud huiuſmodi eſt, aut etiam honorabilius*. certe per hæc hominibus honorabiliora, & huiuſmodi quoquopacto, cuiuſmodi ſunt homines, quæ præter ſenſum tactus, & appetitus, & loco motiuum principium, habent intellectum, nihil aliud Ariſtoteles intelligere potuit quam ſyluanos illos ſemideos a Gentilitate cultos nomine Satyrorum, atque Faunorum, qui vtcumque repreſentabant humanam effigiem, & corpoream naturam habentes tactu pollebant, ac loco mouebantur, & loquebantur, ſermonemque ſerebant humano more intelligentes; atque tandem obnoxij corruptioni moriebantur; licet vitam diuturniſſimam viuere ponerentur; quare commune hoc erat intellectui humano, & Satyrorum, vt non ſemper in materia degeret, ſed in aliquo tempore determinatæ menſuræ ineſſet in compoſitorum quopiam, nimirum homine mortali, Satyroque longæuo quidem, aſt etiam demum corruptibili, tamquam pars illius eſſentialis potior, videlicet vt [i] forma corporis: vel qui in aliquo tempore, finito nimirum, vitam Hominis, Fauniue mortalis [k] menſurante, eſt e numero compoſitorum; quum ſit pars eſſentialis alteri parti compoſita, & omnino forma materiei conſociata, complicata, complexaque, vt vtar Ariſtotelica phraſi: [l] Dubio procul Ariſtotelem allato ſuperius loco per animalia ſimilia hominibus, ac ijſdem [m] honorabiliora, intellectum habentia, facultatemq; motricem, ac ſenſum, non intellexiſſe cælum, ex eo conſtat, quod Ariſtoteli cælum caret omni ſenſu, non eſt ſimile homini, ac ſine controuerſia, ſineque dubitatione eſt homine nobilius, nec habet intellectum, qui ſe habeat in aliquo tempore

. de an. t. 19.

de an. t. 4.

.. de gen. t 57.

phy. t. 54.

1. de an. t. 29.

pore

pore compositorum; quum semper in *n* cælo sit, & sine hypothesi sit homine *o* honorabilius. Itaque intellectus humanus, aut si datur etiam, Satyri, atque Panisci, qui aliquando est in materiali corpore, & aliquando per mortem a corpore separatur, ***non bene esse habet in hoc*** humano, ***aut in hoc*** Panisci corpore; quoniam intellectus materiali corpori copulatus, non raro cogitur ociari, & a contemplandi munere feriari; non enim semper intelligit in corpore degens, vt *p* alibi monuit Aristoteles; & propterea dum est in hoc materiali corpore, compositoue indiuiduo mortali homine, seu Satyro, veluti pars componens; aut in hoc particulari corpore suo determinato Satyri, vel hominis, veluti forma in *q* propria materia; ***non bene esse habet***; quia nec *r* semper intelligit, nec intelligendo semper assequitur verum, sed plerumque decipitur; quũ intellectus *s* perfectio sit ipsum *t* intelligere; & bene esse vniuscuiusque sit fungi suo munere; quod *u* alibi nos docuit Aristoteles. ***Verum in toto:*** hoc est, quando intellectus non est in corpore materiali, siue in homine mortali pars essentialis altera compositi viuentis, ***verum in toto*** mundo, ac in vniuerso; qui modus loquendi fuit Antiquorum vsurpatus alibi ab Aristotele tum asserente, *x* *Hoc autem sustinuit, & quæ est in Orphicis vocatis carminibus, ratio; dicit enim animam ex toto ingredi respirantibus, latam a ventis: Non possibile itaque plantis hoc accidere, neq; animalium quibusdam; siquidem non omnia respirant.* & mox. *y* *Et in toto autem quidam mistam esse dicunt: vnde fortassis & Thales opinatus est omnia esse plena Dijs:* Deos enim prisci vocabant animas defunctorum a corpore separatas. Sic igitur & nunc Aristoteles ait intellectum humanum a corpore separatum post obitum hominis esse in toto mundo ***quoddam*** ens integrum, ***aliud existens ab eo***, quoniam intellectus humanus est ens quoddam absolutum, a corpore separatum quippiam, & ab homine mortali disiunctum, non amplius hominis corporei aliquid, non amplius corporis *z* actus, vt *a* fuerat antea hominem constituens: tunc humanus intellectus extra corporis contagionem ***est quod optimum***, summe perfectum in suo genere: statimque declarat Aristoteles in quo sita sit hæc optima conditio, summaque perfectio intellectus humani a corpore separati per interuentum mortis, inquiens, *sic autem ipsa sui ipsius intellectio per totum*

n 8. phy. t. 84.
o 1. cal. t. 13. 16.
p 3. de an. t. 16
q 2. phy. t. 26. 2. de an. t 4 & 24.
r 3. de an. t. 16
s 2. de an. t. 151.
t 2. de an. t 24 26.
u 5. de ge. an. cap. 1.
x 1. de an. t 84
y tex. 86.
z 2. de an. t. 11.
a 2. de an. t. 7. & 26.

aeternum se habet: perfectio summa, & optima conditio intellectus humani post obitum hominis a corpore separati consistit in eo, tum quod semper intelligit, maximeque seipsum incessanter per totum aeternum tempus; vt qui non amplius a materia interpellatur interrumpēte frequenter diuturnam & iugem speculationem; neque a materia impeditur quominus assidue seipsum intelligat; ad quod iamdudum Oraculum hominem quemuis hortabatur nobili dicto, *Nosce teipsum*: nam intellectus est vere de se intelligibilis sibi, & actu intellectiuus omnium intelligibilium, quod asseruit etiam *b* alibi Magister; vt propterea vere sapienterq; dictum fuerit ab initio textus, *c* In ijs, quae materiam non habent, idem esse quod intelligit, & quod intelligitur; idque non esse compositum, sed simplex intelligibile; quod vna & eadem intellectione perenni a semetipso semper tota aeternitatis duratione indesinenter intelligitur: tum maxime ad nostrum institutum, quod intellectus humanus falce mortis a materia separatus, sit quoddam ens in toto absolutum & integrum sui generis, extra omnem rationem partis alteri compositae, carens omni prorsus imperfectione materiali. Soluit igitur Aristoteles propositam dubitationem, determinatque superiorem quaestionem hic inquiens, *d* Id, quod intelligitur a seipso, si loquamur de humano intellectu, aliquando esse e numero compositorum partem compositi viuentis; vt dum *e* seipsum intelligit in corpore degentem; quae intellectio est interrupta, *f* & multiplex ob materiae culpam; non vna, & continua: vicissim aliquando esse substantiam simplicem, ac ens integrum quoddam extra materiam, absolutum in vniuerso, & indiuisibile; vt dum seipsum intelligit a corpore separatum; quae intellectio est vna, & imperturbate perseuerans eadem in aeternum. Sic ergo pluribus rationibus primum fundamentum, quo nititur tertia viri praestantis instantia, dicentis animam rationalem mortis interuētu separatam a corpore adhuc ex se partem esse totius hominis essentialem, adeoque partem totius compositi naturalem, non solum nutat, sed plane falsum est; ab ipsomet Aristotele multis in locis nuper allatis & explicatis funditus euersum.

b 3. *de an. t.* 4 15. & 18.
c 12. *meta. t.* 51.
d 12. *met. t.* 51
e 3. *de an. t.* 8.
f 3. *de an t.* 16

Secunda solutio tertiæ dubitationis affertur, ostendendo Partem separatam a toto non habere naturalem potentiam ac propensionem ad totius integritatem restituendam. Cap. VI.

CEterum neque magis firmum est aliud eiusdem instantiæ fundamentum, quo dicebatur, Partem separatam a toto, & ab alijs compartibus, retinere potentiam naturalem ad totum, habereque physicam inclinationem ad alias partes, vt cum ipsis denuo consociata pristinam constituat antiqui totius integritatem: In primis enim ramus arboris a trunco diuulsus, cui coniunctus pridem erat pars totius integræ stirpis, non ideo gliscit iterum appetitu naturali cum trunco recopulari ad pristinæ arboris integritatem; quia melius est ramo seorsum a veteri trunco plantari, & adolescere in arborem nouam, & integram a priori distinctam; siquidem melius est totum integrale sua quacumque parte seorsum accepta: Naturam autem de possibilibus efficere semper quod melius est, adeo notum est apud [a] Aristotelem, vt vel tyronibus euidentissimum sit: Non igitur inseuit Natura cuique parti a toto seiunctæ, seu ab alia quauis parte separatæ, naturalem propensionem ad iterandam connexionem cũ alijs partibus, vt pristinum totum rursus integretur; sed potius e contra naturalem inclinationem ad induendam in seipsa naturam noui totius. Deinde vero quælibet pars totius a toto separabilis, talem separabilitatem habet a natura; sed separabilitas partis a toto nihil est aliud quam naturalis potentia ad permanendum extra totum pristinum, & induendam naturam ac rationem noui cuiusdam totius: igitur tantum abest vt pars omnis a toto separata retineat in se naturalem potentiam & propensionem ad eiusdem totius integritatem pristinam restaurandam per iteratam sui reunionem cum alijs partibus, a quibus iam separata fuerat; vt e contra potius pars in toto degẽs ab eo separabilis habeat naturalem potentiam & inclinationem ad se absoluendum ab eo toto, & ad induendam noui totius essentiam in seipsa: Sic igitur tantum abest vt anima rationalis post obitum hominis a corpore separata naturalem habeat inclinationẽ ad corpus denuo subeundũ, quod potius viceuersa dum in corpore degit, quatenus ab eo separabilis est natura, eatenus habeat natu-

[a] 2. cal. t. 34. 2. de gen. t. 59. de an. inc. cap. 2. 1. de gen. an. cap. 4. de iuu. & senect. c. 2.

 ralem

ralem propenſionem ad exiſtendum extra corpus. Deinceps autem nihilominus eſt pars eſſentialis compoſiti viuentis corpus, quam ſit anima; vt nos docuit, nobiſque demonſtrauit aperte neceſſarioque[b] Philoſophus: quum itaque non minus aliquandiu permaneat in eſſe ſub forma cadaueris corpus canis interempti poſt animæ caninæ corruptionem; quã poſt corruptionem corporis humani putredine diſſoluti prorſus in elementa permanet incolumis anima rationalis: profecto ſi ratio viri præclari vera foret, qua probare conatur animam rationalem, poſt obitum hominis a corpore ſeparatam, habere naturalem propenſionem, phyſicamque potentiam ad corpus denuo ſubeundum, quia retineat adhuc naturam partis; cuius attributum eſſentiale ſit, appetitu phyſico ſemper inhiare ad integritatem totius priſtini reparandã & reſtituendam: vera quoque fuerit nuper inſinuata ratio, qua quis oſtendere ſtudeat, cadauer canis habere naturalem potentiam ad animam caninam eamdem etſi corruptam iterum ſuſcipiendam; quia ſemper in ſe conſeruet naturam partis inhiantis ad priſtini totius integritatem renouãdam: Quæ ratio quum falſa ſit, eo quod cadauer canis nunquam huiuſmodi potentiam ad actum reduci ſibi ſentiet; fruſtraque ſit omnis potentia naturalis, quę nunquam reducitur ad actum: longe pariter a veritate diſtat inſignis viri dogma; dicentis Partes ſingulas, in quas totum aliquod diuiſum ac reſolutum fuerit, in ſe retinere naturalem potentiam, & phyſicam propenſionem ad priſtinum totum redintegrandum. Vlterius hoc fundamento dato, iam ſi globa ſola terræ maneret in centro mundi, reliquum vero terræ corpus apud Lunam translatum in cælo detineretur; neceſſario gleba naturalem haberet propenſionem ad locum ſurſum, vt cum reliquo terræ globo conſociaretur ad totum telluris elementum integrandum: ſed quum Ariſtoteles id aperte negauerit inquiens, [c] *Non enim ſi quis tranſponat terram, vbi nunc eſt Luna, feretur partium vnaquaque ad ipſam; ſed ad eum locum, vbi & nunc exiſtit*. Sic igitur ob integritatem totius diuiſi reparandam non eſt neceſſario ponenda naturalis potentia, phyſicaue propenſio in ſeparatis partibus ad iterandã vnionem. Non ergo pars quælibet in natura naturalẽ habet propẽſionem ad totius integritatem, vbi hæc ſemel deſtructa fuerit, reſtaurandã; quod erat

b 2. de an. t. 2. 4. & 7.

c 4. cal. t. 22.

erat alterum fundamentum ratiocinij contra nostram thesim a celso viro propositi. Cōstat igitur apertissime, tertium argumentum Florentis doctiq; viri claudicare cruribus vtrisque; quum nitatur falsis præmissis: Abunde siquidē probauimus, animā post hominis obitum a corpore separatam nō amplius esse partem, sed integram substantiam simplicem incorpoream per se subsistentē, certamque speciem naturæ intelligibilis completæ: & parti a toto, reliquisue partibus separatę, necessario nō inesse naturalem inclinationem ad partes alias, siue ad partem aliam subeundam, sibique connectendam pro totius pristini noua redintegratione: qui duo soli cardines erant, quibus nitebatur tota tertia dubitatio viri præclari.

Quarta dubitatio diluitur, ostendendo rationalem animam defuncti non habere potentiam naturalem ad corpus denuo subeundum, quia naturalis potentia ad corpus consequatur essentiam animæ. Cap. VII.

Rō. IV. SEd allatis ab egregio Floridoque viro contra nostrū theorema dubitationibus aliæ poterant adiungi non infirmi roboris; quarum vna quarto loco talis erit. Propensio naturalis ad corpus subeundum, quam habebat anima rationalis in suo primo Statu, quamque retinebat in corpore degens, appetitu naturali cupiens cum corpore iungi ad certum tempus, est proprietas physica pure consequens naturam, & essentiam animæ rationalis; atuero prorsus eadem est natura & essentia rationalis animæ a corpore separatæ post hominis interitum, quæ fuerat prius in eadem anima dum non adhuc ipsi corpori cōniuncta fuerat, & dum in corpore degebat ante mortem hominis: ergo rationalis anima post obitum hominis a corpore separata vt eamdem naturam & essentiam sibi retinet, sic eamdem habet in se naturalem potentiam, physicamque propensionem ad corpus, quæ talem animæ naturam, & essentiam consequitur. Cui quidem argumento

Sol. I. satis efficaci primum respondere possumus, Negantes potentiam naturalem, physicamque propensionem, quam ad corpus habet anima rationalis in suo primo Statu, & in secundo, consequi naturam & essentiam illius animæ simpliciter; quia consequitur naturam animæ talem, & essentiam animæ talē,

scilicet

scilicet corpori solum primo vniendæ, ac vnitæ; non autem essentiam animæ semel a corpore mortis interuentu separatę; Neque nouum est in Peripato, quidpiam prius coniunctum habere potentiam aliquam sibi naturalem, quam eamdem postea non habeat separatum; idque nos edocet Aristoteles tum in passiua, tum in actiua potentia: verba Magistri perspicua sunt, [a] *Dubitationem autem habet, si auferat quis aut ab ipso* A, *si continuum est, id, quod mouet quidem, sed immobile est; aut ab ipso* B, *quod mouetur; an reliquum vtique ipsius* A *mouebit, aut reliquum ipsius* B *mouebitur: si enim hoc, non vtique erit, quæ primo mouetur a seipsa, quæ* AB: *remota enim ab* AB, *adhuc mouebit seipsam reliqua* AB. *An potentia quidem vtrumque nihil prohibet, aut alterum, id scilicet, quod mouetur, diuisibile esse, actu autem indiuisibile: si autem diuidatur, non vlterius esse eamdem potentiam; quare nihil prohibet in ijs, quæ diuidi possunt, potentia primo inesse.* Sic igitur in anima rationali potentia naturalis inest ad corpus in primo, & secundo Statu; quemadmodum [b] antea posuimus; non autem in tertio, vbi mortis interuentu diuisa separataque fuerit a corpore. Deinde materia prima, & secunda, dum sub forma seminis, menstruiue degit, habet naturalem potentiam ad subeundam naturam animalis, & plantæ, vt ait [c] Aristoteles, quæ potentia passiua consequitur essentiam materiæ sub tali forma seminis menstruiue constitutæ, non autem naturam materiæ simpliciter: tum quoniam actus actiuorum fiunt in patiente [d] disposito, & in [e] propria vniuscuiusque materia; modo materia prima nullas habet dispositiones ad animalium, & plantarum naturam induendā, nec illorum propria, sed omnium communis est; & materia secunda nullas habet dispositiones ad formam, quam semel amiserit, quæque corrupta fuerit; quum eam amiserit, quia dispositionibus ad ipsam priuata fuit: tum quia secus vnumquodque fieri posset ex vnoquoque; nam materia prima, secundaque reperitur in vnoquoque corpore subcælesti; proptereaque quum materia prima secundaque separata fuerit a forma seminis per seminis corruptionem, non amplius habebit essentiam, & naturam talem, quam consequatur potentia naturalis ad animalis, plantæue formam iterum immediate suscipiendam: Sic anima rationalis, etsi habeat in suo primo, secundoque Statu corpori iuncta talem essentiam, quam

[a] 8. phy. t. 44.
[b] lib. 1. cap. 2 & 3.
[c] 1. phy. t. 62.
[d] 2. de an. t. 24.
[e] 2. de an. t. 26.

quam consequitur naturalis potentia, & physica propensio ad corpus; in tertio tamen Statu a corpore separata post mortem hominis non amplius habet essentiam talem, quam consequatur eadem naturalis potentia, physicaque propensio ad corpus denuo subeundum. Deinceps animæ rationalis, quæ in corpore degens obtinet potentiam naturalem motricem, qua mouet per se quidem corpus humanum sibi subiectum, & hominem a se constitutum, per accidens autem seipsam; huiusmodi potentiam non retinet a corpore separata; nam in actu separationis desinit esse motrix; & quæ vt intellectiua, est *f* immortalis; eadem vt motiua corruptibilis est; quoniam eius essentiam consequitur, naturalis quidem potentia intellectiua, simpliciter; motiua vero facultas corpori coniunctam solummodo: quam theoriam clarissimam habemus ab Aristotele talia dicente, *g Non est autem idem moueri secundum accidens a seipso, & ab altero: moueri enim ab alio eorum, & quæ sunt in cælo, quibusdam principijs inest, quæ secundum plures feruntur lationes; alterum autem corruptibilibus solum.* Quum itaque certum sit, animam rationalem esse principium motus in homine, quod mouendo hominem per se mouet seipsam per *h* accidens; iam Aristoteles ponens animam rationalem, quatenus est intellectiuum principium solum, incorruptibilem; necessario decernit eã esse corruptibilem, quatenus est principiũ motus & actiuum per se, & passiuum per accidens; adeoque naturalem potentiam tum actiuam, tum etiam passiuam ad motum efficiendum pariter & subeundum, consequi naturam animæ rationalis in corpore degentis, non autem eiusdem a corpore separatæ post hominis interitum. Sic itaque falsum est, naturales potentias, quæcumque consequuntur animæ naturam & essentiam in sui primo, & secundo Statu, consequi debere necessario eamdem in tertio a corpore materiali separatam.

f 2. de an. t. 21 3. de an. t. 7. 20.

g 8. phy. t. 52.

h 1. de an. t. 16

Secunda difficultatis eiusdem solutio ducitur ex eo, quod non eadem prorsus est natura, & essentia rationalis animæ ante mortem hominis, & post hominis interitum. Cap. IIX.

DEinde vero negare debemus, eamdem prorsus esse naturam & essentiam animæ rationalis per mortem a corpore

pore separatæ, quæ prius fuerat in corpore degentis, & antequam corpori forinsecus adueniret: nam in corpore fuerat pars hominis, & post mortem hominis a corpore separata, est integrum quoddam in vniuerso; vt antea [a] nos docuit [b] Aristoteles: antequam vero corpori consocietur, est essentia nondum functa munere suo constituendi naturaliter hominem; & eapropter est in potentia naturali ad subeundum prima vice corpus, cum quo iuncta possit hominem in esse constituere; post obitum autem hominis a corpore separata, proindeque suo tali munere functa, non amplius est in potentia naturali ad corpus denuo subeundum: Quum itaque varia sit essentia rationalis animæ separatæ post hominis interitum & iunctæ cum corpore, & antequam corpori copuletur in formam; quæcumque sit illa differentia; quum potentia naturalis ad corpus denuo subeundum non consequatur animæ naturam & essentiam, nisi prout est, vel futura est pars hominis essentialis, ac omnino pars compositi naturalis; iam absolute negandum est, eamdem prorsus esse naturam animæ rationalis ante mortem hominis, & post hominis obitum; habet enim hanc differentiam, quod ante mortem hominis anima rationalis est natura quædam non absolute perfecta, quoniam habet physicam potentiam ad hominem constituēdum, & ad exercendas omnes operationes humanas: Quibus iam functa muneribus post hominis obitum est natura perfecta, optime se habens, & non amplius obtinens ad corpus denuo subeundum potentiam aliquam naturalem, quæ quamdam adiunctam habet priuationis imperfectionem. Sic plane materia prima, licet absolute sit vna & eadem numero, tamē Aristoteli dicitur esse alia sub forma ignis, & alia separata a forma ignis corrupti, dum est sub forma terræ; scribit enim, [c] *Sed hoc non ens simpliciter, dubitauerit aliquis vtrum alterum contrariorum est; vt terra, & graue non ens; ignis autē, & leue ens: an non, sed est terra ens, ille vero nonens, materia terræ, & ignis similiter: Et an altera vtriusque materia. An nō vtique fierent ex seinuicem, neque ex contrarijs (his enim existunt contraria, igni, terra, aquæ, aeri:) An est quidem vt eadem, est autem vt altera: quod enim quandoque existens subijcitur, idem; esse autem non idem. De his igitur in tantum dictum sit.* Qua ergo ratione Magister ait, Materiam, quæ vna & eadem numero

[a] ...ap. 5.
[b] 2. met. t. 51
[c] 1. de ge. t. 22

mero sub forma ignis antea degens transducitur ab agente vt postea sit sub forma terræ, dici posse non eamdem esse sub adeo diuersis formis; at in igne naturam quoquopacto diuersam & non eamdem habere, ac dum est sub forma terræ, ab igne corrupto separata: Nos eadem ratione prorsus asserere possumus, Animam rationalem corpori consociatam in homine diuersam quoquopacto naturam & essentiam habere, non autem eamdem omnino, quam habebit postea, dum a corpore separata post obitum hominis per se subsistet: ob quam sane varietatem fit, vt quæ priusquam corpori sociaretur, & vbi corpori iungebatur, habebat naturalem potentiam ad corpus prima vice subeundum, & animandum ad præstitutum sibi a natura tempus; demum interuentu mortis a corpore separata non amplius habeat eamdem potentiam naturalem ad corpus denuo subeundum: & eo magis, quo maiorem mutationem naturæ subit anima rationalis dum per mortem separatur a corpore, quam materia dum separatur ab igne, qui corruptione vertitur in terram; enimuero materia prima semper est pars essentiæ compositi naturalis, semperque [d] natura, quæ dicitur principium motus; siue spectetur in igne, siue in terra: & quam habebat sub ignis forma [e] naturalem potentiam ad motum sursum, eamdem nō retinet ab igne corrupto separata manens sub forma terræ: Sed anima rationalis, quæ antequam corpori copuletur in formam, est physice pars futura generandi hominis, & vere natura futura hominis; in quo genita est pars actualis, ac [f] natura hominis: post hominis interitum non amplius est [g] natura, principiumue motus; non amplius est pars componens, nec actu, nec potentia; vt [h] nuper vidimus apud [i] Aristotelem; sed est totum quid integrum, & absolutum, optime se habens, ac per se subsistens in vniuerso. Sic igitur anima rationalis post hominis interitum nullam habet naturalem potentiam, propensionemue physicam ad corpus denuo subeundum; nec eamdem prorsus habet naturam, ac priusquam a corpore separaretur; & omnino non talem, quam consequatur naturalis potentia, physicaque propensio ad corpus denuo subeundum.

d 2. phy. t. 4. 21.
e 2. phy. t. 5.
f 4. de par. an. 10.
g 1. de par. c. 1
h cap. 5.
i 12. met. t. 51

Tertia eiusdem, vel consimilis e Diuo Thoma deducta difficultatis enodatio depromitur ex eo, quod potentia supernaturalis dici potest metaphorice naturalis, sed non proprie. Cap. IX.

CEterum quia superius argumentum, vel saltem aliud illi simillimum niti videtur autoritate clarissima Diui Thomæ, quem in proposito nostram sententiam pluribus rationibus communire [a] perspeximus; vt liberemus Angelicũ Doctorem ab apparenti contradictione, tertiam allatæ dubitationis dissolutionem afferemus. Porro sibimetipsi nobiscum dicenti [b] pluribus in locis animam rationalem a corpore separatam non habere potentiam naturalem ad actum resurrectionis, ast obedientialem solum, quæ supernaturalis est; aperte contradicere videtur, dum ait, [c] *Præterea id quod inest alicui secundum se, semper inest ei: sed forma secundum se inest vniri materiæ; non enim per accidens aliquod, sed per essentiam suam est actus materiæ; alioquin ex materia & forma non fieret vnum substantialiter, sed accidentaliter: forma ergo non potest esse sine propria materia: sed intellectiuum principium quũ sit incorruptibile, vt [d] supra ostensum est, remanet corpori non vnitum corpore corrupto: ergo intellectiuum principium non vnitur corpori vt forma.* cui respondens paullo post inquit, [e] *Ad sextum dicendum, quod secundum se conuenit animæ corpori vniri, sicut secundum se conuenit corpori leui esse sursum: Et sicut corpus leue manet quidem leue, quum a loco proprio fuerit separatum, cum aptitudine tamen & inclinatione ad proprium locum: ita anima humana manet in suo esse, quum fuerit a corpore separata, habens aptitudinem & inclinationem naturalem ad corporis vnionem.* Porro si hæc non attulisset Diuus Thomas, nos audacter negaremus tum animam defuncti a corpore separatam habere naturalem aptitudinem & inclinationem ad corporis vnionem; cuius dicti nullam rationem adhibet Diuus Thomas: tum animam post mortem manere in suo esse, quod pridem habebat corpori iuncta; quum id ex Aristotele multis rationibus, ac ex rei natura [f] demonstrauerimus non esse verum omnino: tum proportionem corporis leuis ad esse sursum, & animæ separatæ ad vnionem corporis; nam leuitas est ipsamet propensio naturalis, potentiaque physica ad esse sursum,

[a] ...ib. 1. ca. 31. & seqq.

[b] ... contr. ge. cap. 102. 1. 2. q. 113 ar. 10. 3. p. q. 11. ar. 1. 2. se. d. 18. q. 1. ar. 3. ad 3.

[c] ... p. q. 76. ar. 1. dub. 6.

[d] ... q. 75. ar. 6.

[e] ... 76. ar. 1. ad 6.

[f] ...p. sup.

sursum, vt edocet g Aristoteles; at anima separata, seu illius esse separatum non est ipsa naturalis inclinatio ad corporis vnionem, vt cuique patet. Sed ob reuerentiam Sancti Doctoris, duo dicimus, vnum est, ab ipso propositam esse solutionem hanc dialectice, seu disputationis gratia; non autem veluti scientificam, & acroamaticam determinationem: alterum est, duplicem esse potentiam naturalem apud Philosophos, alteram quidem proprie dictam, de qua nobis instituta est disputatio; alteram vero metaphoricam, & secũdum translationem appellatam, de qua nunc agit Diuus Thomas: & sane duas huiusmodi differentias potentiarũm alibi proposuit Aristoteles, dum ait, h *Metaphorice autem, qua in Geometria, potentia dicitur;* & adhuc infra, i *Quod igitur multipliciter potentia, & posse dicatur, determinatum est a nobis in alijs: Harum verò quæcumque quidem æquiuoce dicuntur potentia, prætermittantur: quædam etenim similitudine quadam dicuntur, vt in Geometria possibilia, & impossibilia dicimus, eo quod quodammodo sint, aut non sint.* Pariter in Theologia, in qua sola consideratur anima defuncti in relatione ad corpus denuo subeundum, quæ potentia naturalis dicitur in anima ad corporis vnionem, est æquiuoce naturalis, siue metaphorice naturalis, ac secundum similitudinem eius potentiæ, quæ dicitur naturalis corpori leui, dum est separatum a proprio loco, ad esse sursum: & reuera ad hoc vt anima sit per se corpori vnibilis, ac vniatur illi substantialiter in formam, sat est vt ad ipsum ea semper habeat ex Diui Thomæ sententia naturalem vtcumque propensionem, potentiamue, siue proprie dictam, ac vniuoce; quæ pertinet ad Physicum; siue metaphoricam, aut æquiuocam, aut analogam, quæ vere physica non est, nec attinet ad Physicum, sed ad Theologum: Quam doctrinam euidentem habemus apud Aristotelem, k cui caussæ naturales generationis physicæ duæ sunt, efficiens, & finalis: & quum finalis metaphorice moueat, ac secundum translationem, l non autem proprie naturaliter ac physice, vt caussa m efficiens; id tamen non impedit, quominus caussa finalis ab n Aristotele præferatur in generatione naturali promouenda caussæ effectrici, quæ physice mouet, ac proprie, non autem metaphorice. Sic in præsentia Diuus Thomas o asserit animã rationalem defuncti a corpore separatam habere naturalem

g 4. cal. t. 2. & seqq.
h 5. met. t. 17.
i 9. meta. t. 2.
k 1. de pa. c. 1.
l 1. de ge. t. 55.
m 2. phy. t. 73.
n 1. de par. c. 1.
o 1 p. q. 76 ar. 1. ad 6.

inclinationem ad corporis vnionem, vt corpus leue a suo loco separatum habet naturalem potẽtiam ad esse sursum: qui sæpius [p] alibi determinauit animam rationalem defuncti a corpore separatam non habere naturalem vllam potentiam ad actum resurrectionis; quia hic fiat supra spem naturæ, supraque omnem potentiam naturæ ab agente supernaturali; quum omnis potentia passiua naturalis deducatur ad actum a potentia actiua naturali: quæ omnia late [q] superius obseruata sunt apud Diuum Thomam: At soluitur Angelicus Doctor a contradictione dicendo, tractare [r] nunc ipsum de potentia metaphorice-naturali, seu æquiuoce-physica, vel ad summum analogice-naturali; quæ ad Theologum attinet; in alijs vero locis antea productis, agere de potentia naturali proprie dicta, & vniuoce-physica, quæ ad Physiologum attinet: modo potest anima rationalis a corpore demortui separata potentiam habere metaphorice-naturalem ad corpus iterum subeundum; ad quod non habet vllam potentiam naturalem proprie dictam, de qua nobis instituta est disputatio cum viro Florenti: est autem ea metaphorice-naturalis inclinatio, per quam fieri potest ex anima & corpore reunito vnum per se, potentia triplex illa [s] dudum explicata, nimirum Obedientialis, Moralis, siue Diuino-politica, & Logica nuncupata: Quarum vnaquæque, vt a Diuo Thoma vocari potuit in præsentia metaphorice, ac etiam analogice-naturalis, quia non est violenta, nec repugnans naturæ animæ: sic a nobis, ab [t] Aristotele, & a Diuo Thoma [u] sæpissime, dicitur non esse naturalis, quia non est a Naturali Philosopho cognita puro lumine Naturæ; neque consequitur animæ naturam a Physico spectatam; neque reducitur ad actum ab agente naturali; neque refertur ad actum physicum ac pure-naturalem; vt late [x] superius ostendimus, & infra [y] suo loco demonstraturi sumus. Itaque Diuus Thomas nec sibi, nec nobis contradicit, dum in præsentia tribuit animæ separatæ naturalem inclinationem ad corporis vnionem; quia loquitur de potentia naturali metaphorice, non autem de proprie dicta naturali; quam tractamus in hoc Opere.

[p] 3. cont. gen. cap 102. 1. 2. q. 113. ar. 10. 3. p. q. 11. ar. 1. 2. se. d. 18. q. 1. ar. 3. et ad 3.

[q] lib. 1. cap. 31. & seqq.

[r] 1. p. q. 76. ar. 1. ad 6.

[s] lib. 1. cap. 4. 5. & 6.

[t] 1. de an. t. 41

[u] 3. cont. gent. cap. 102. 1. 2. q. 113. ar. 10. 3. p. q. 11. ar. 1. 2. se. d. 18. q. 1. ar. 3. ad 3.

[x] lib. 1. cap. 7. & seqq.

[y] lib. 2. ca. 11 & seqq.

Quinta difficultas eluitur, ostendendo rationali animæ defuncti non inesse naturalem potentiam ad corpus denuo subeundum, quia terminus ad quem tendit resurrectio, non est quid in puris naturalibus constitutum, sed quid quoquopacto supernaturale. Cap. X.

Rō. v. NOn minoris momenti contra nostram thesim quinto loco ratio talis afferri posset, Quoniā Aristotelis decreto, [a] Iustum est appellare omnia a fine; quin & mutationem omnem [b] denominari magis ab eo in quod, quam ex quo mouetur: quum igitur finis potentiæ passiuæ sit forma, ad quam tendit mobile; ac finis cuiusque mutationis, in quem mobile mouetur, sit id, quod per talem mutationem comparatur: quumque per secundam vnionem animæ rationalis defuncti cum humano corpore constituatur in esse homo, qui est quid naturale, ac physicum: iam actus illius nouæ vnionis animæ separatæ demortui cum corpore, debet esse similiter physicus, & naturalis; adeoque potentia ad talem actum secundæ vnionis, proindeque potentia rationalis animæ defuncti ad corpus denuo subeundum, dici debebit, ac esse vere physica similiter & naturalis. Nos huic argumento pariter non vnica ratione satisfacere possumus; Concedētes enim, Iustum esse omnia appellare a fine; mutationemq; magis denominari ab eo, in quod, quam ex quo mouetur: Dantesque finem potentiæ passiuæ esse passionem ipsam, siue formam, adquam tendit mobile; ac finem cuiusque mutationis esse id, quod per talem mutationem conquiritur: Negamus primo, Hominem, qui per actum resurrectionis in vltimo Iudicij Die constituetur in esse Diuinitus, futurum quid pure physicum, ac in puris naturalibus constitutum: & ratio negationis est, quia hominis natura, & essentia physica dissolubilis est; & eapropter homo in puris naturalibus constitutus est corruptibilis, atque mortalis; definitur etenim homo vel a [c] Porphyrio, esse animal rationale mortale; quin & Aristoteli quum homo materiam habeat; materiaque [d] corruptionis necessitatem naturaliter aduehat; iam homo physice, siue in puris naturalibus constitutus, necessario corruptibilis erit, atque mortalis: quum autem anima rationalis demortui

Sol. 1.

a 2. de an. t. 49
b 5. phy. t. 4.
c cap. de different.
d 1. phy. t. 82. 12. meta. t. 30. 2. de an. t. 35. 2. de gen. cap. 3.

demortui per secundam vnionem sui cum corpore constitutura sit in fine dictum hominem nō amplius corruptibilem, sed immortalem, siue beatum sumas, siue damnatum: iam neque resurrectio, secundaque vnio rationalis animæ cum corpore simpliciter dicenda est naturalis & physica, ratione termini ad quem. Sed & Aristoteles apertissime statuit hominem corruptibilem ab incorruptibili differre genere, nedum specie; genere nimirum physico, si non logico, dum ait, e *Corruptibile vero eorum est, quæ necessario insunt his, quibus insunt; aut vnum & idem corruptibile & incorruptibile erit, si contingit non esse ei corruptibile: Aut substantiam igitur, aut in substantia cuique corruptibilium necesse est corruptibile esse. Eadem autem ratio & de incorruptibili est: eorum enim ambo sunt, quæ necessario insunt. Prout igitur & secundum quod primum hoc quidem corruptibile, illud vero incorruptibile, oppositionem habent: quare necesse est genere diuersa esse. Manifestum itaque est, quod non contingit tales formas esse, quales quidam aiunt: erit namq; & ipse homo hic quidem corruptibilis, ille vero incorruptibilis; quamuis formæ eædem specie cum particularibus esse dicantur, & non æquiuoce: quæ vero genere diuersa sunt, plus distant, quam quæ specie*. Sic igitur homo mortalis ante mortem est pure naturalis, ac f terminus generationis naturalis; & finis potentiæ naturalis, quæ præfuit in semine, menstruoue, atque in anima rationali considerata in primo suo Statu, præcedente saltem ordine naturæ actum generationis naturalis: ast homo post resurrectionem immortalis, non est in puris naturalibus, verum supernaturali perpetuitate donatus, aut a Diuina Iustitia perenni pœna eum afficiente, aut a Diuina gratia beatum ipsum efficiente: quare damnatus, & beatus homo post resurrectionem, quatenus est immortalis vterque, est quid formaliter vtcumque supernaturale, non autem quid pure physicum; sed ab homine pure naturali dissidet genere physico, si non logico; licet habeat animam eiusdem speciei cum homine pure naturali. Quocirca ratione termini, ac finis ad quem tendit resurrectio, qui finis est homo vtcumque supernaturalis, nimirum immortalis in indiuiduo supra g naturæ leges; quibus homo, vt aliud quodcumque materiale, necessario corruptibilem habet essentiam: quum inquam hominum vltima resurrectio ratione termini finisque supernatu-

e 10. met. t. 26

g 1. phy. t. 82. 2. de an. t. 35. 2. de gen. an. cap. 1. 12. meta. t. 30.

naturalis non sit naturalis, at pariter supernaturalis; propterea potétia in anima defuncti similiter, & in corpore mortui ad secundam vnionem, quæ proprie resurrectio dicitur, est reuera supernaturalis, non autem vere ac proprie naturalis.

Neque confugiat vir eximius ad asylum Status innocentiæ, in quo ante peccatum Adæ singulus homo materialis habebat naturam immortalem; nobis enim hoc obtrudere nõ potest; tum quia nos locuti fuimus olim de rationali anima post lapsum; & nunc agimus de homine post Adę peccatum; tum quia nec homo ante peccatum erat absolute immortalis, vt futurus est post resurrectionem; quod apertissime nos edocet Beda venerabilis inquiens, h *Quæritur quomodo immortalis factus sit homo præ alijs animantibus, & cum illis communẽ acceperit alimoniam? sed alia est immortalitas carnis, quam in Adam accepimus; alia, quam in resurrectione per Christum speramus; ille factus est homo immortalis, vt non posset mori, si non peccaret; moreretur autem, si peccaret: Filij vero resurrectionis æquales Angelis, nec poterunt vltra peccare, nec mori: Caro ergo nostra post resurrectionem non eget ciborum refectione, quia nec fame, nec lassitudine, nec alia infirmitate adest defectio; vel poterit corrumpi: Caro Adæ ante peccatum ita immortalis creata est, vt per alimoniam adiuta, esset mortis & doloris expers, donec corporalibus incrementis perductus ad ætatem, quæ Conditori placeret, multiplicata progenie ipso iubente sumeret etiam de ligno vitæ, quo perfecte immortalis factus, cibi vlterius adiumenta non requireret. Sic ergo immortalis & incorruptibilis condita est caro hominum, vt suam immortalitatem & incorruptionem per custodiam mandatorum Dei custodirent: in quibus & hoc erat, vt de illis lignis concessis manducarent; ab hoc interdicto abstinerẽt: per hoc edulium immortalitatis dona conseruarent, illius tactu mortem inuenirent: Sic vero incorruptibilis & immortalis erit in fine caro nostra, vt sicut Angeli in eodem statu semper maneat, & corporalibus cibis (qui ibi non erunt) egere non possit: nam quod Angeli cum Patriarchis manducauerunt, non indigentia, sed benignitate factum est, vt hominibus familiarius congruerent: Christus quoque post resurrectionem manducauit, non vt cibo indigeret, sed vt veram post mortem se carnem recepisse monstraret.* Sed & Diuus Augustinus infit, i *Non ait Apostolus k Romanis, corpus mortale propter peccatum, sed mortuum: illud enim ante*

h 1. *Hexam. cap.* 2.

i *Gen. ad litt. lib.* 6. *ca.* 29 *tom.* 3.

K *cap.* 8.

ante peccatum mortale, & immortale, quia poterat mori, & non mori: aliud est autem non posse mori, & posse non mori; quomodo creatus est homo immortalis. Lyrano similiter, [l] *Poterat homo seruare innocentiam, quam si seruasset, necessitatem moriendi non incurrisset.* Ita ergo post resurrectionem futurus est homo simpliciter immortalis absque nutrimentorum vsu; qui ante lapsum Adæ creatus fuit a Deo mortalis, si nutrimẽtis abstinuisset; quum esu ligni vitalis immortalitatem sibi comparare valuisset, si citra peccatum innocens perseuerasset. Ceterum & illa potentia, quam habuit rationalis anima ad subeũdum corpus luteum Adæ, quin & corpus Euæ, citra vllam agentis naturalis operationem, dispositionemque, pure naturalis nõ fuit, sed supernaturalis; quum creatio terminans illam potentiam fuerit supernaturalis, non autem physica: Sic igitur & finis, ac terminus ad quem tendit potentia rationalis animæ defuncti ad corpus denuo subeundum, non est naturalis, sed supernaturalis; adeoque talis etiam debet esse huiusmodi potentia.

Genes. cap. 2.

Secunda solutio difficultatis eiusdem elicitur ex eo, quod so'a mutatio physica specificatur a termino ac fine; non autem supernaturalis, nec etiam artificiosa. Cap. XI.

DEinde vero negare quoque possumus, omnem mutationem simpliciter specificari a termino, ad quem tendit, ac omnino a fine; hoc enim solum competit mutationi pure naturali; de qua tractauit Aristoteles allato [a] loco; quin & ibi Magister ait, non quidem absolute mutationem denominari a termino ad quem, sed magis ab eo in quod mouetur, quam ab eo ex quo: secus est de non naturali mutatione, siue sit infra naturam, vt est ab Arte facta mutatio; siue sit supra naturalis mutatio, quam Aristoteles vtens vno lumine naturæ cognoscere non potuit; cuiusmodi est creatio pariter & resurrectio: nam de Artificiosa, licet ea tendat ad finem naturalem, vt Medicatio ad sanitatem, quæ est affectio naturalis; non tamen denominatur a sanitate, sed ab agente, ac dicitur actio Artificis, non autem functio Naturalis, Medicatio, non autem sanatio; quod perspicue monet Aristoteles asserens, [b] *Amplius autem Natura dicta vt generatio, via est ad* natu-

Sol. 11.

5. phys. t. 4.

2. phy. t. 14.

naturam: non enim vt medicatio dicitur non ad medicinam via, sed ad sanitatem (necesse enim est a medicina, non ad medicinam esse medicationem) sic natura se habet ad naturam: sed quod nascitur ex quodam in quiddam venit, quatenus nascitur; ad quod igitur nascitur? non ad id ex quo, sed ad quod. Sic igitur mutatio naturalis denominatur a fine, in quem tendit; ad differentiam mutationis artificialis, quæ denominatur ab agente, a quo prouenit. De mutatione pariter supernaturali non aliud asserendum est, quam de artificiali; quia supernaturalis mutatio facta sine motu physico, sineque præuijs dispositionibus, a summo Deo supra naturæ leges agente, vel quia operetur sine materia præexistente, vel quia operetur in materiam physice non dispositam, etsi quod tali functione producitur, sit quid pure naturale; tamen ea productio non est naturalis; & potentia ad eam productionem dici non debet naturalis; quoniam omnis mutatio physica præsupponit [c] subiectum mutabile; ac omnis potentia naturalis nititur subiecto physice disposito: modo creatio non est mutatio physica, quia nullum præsupponit subiectum, etsi terminetur ad ens pure naturale; sed est mutatio supernaturalis, qua Deus olim supra Naturæ leges [d] creauit in principio Cælum, & terram; quæ sunt corpora pure naturalia, licet nonnaturaliter primo producta: sic etiam productio primi homini Adam de limo [e] terræ, primæque mulieris Euæ de costa viri, non est mutatio physica & naturalis, verum supernaturalis omnino, licet Adam & Eua fuerint homines habentes essentiam, & substantiam vere naturalem; quoniam eorum productio facta fuit ex materia non habente physicas dispositiones, quibus innititur naturalis potentia ad naturam hominis physice promouendam & subeundam; at est supernaturalis, quia facta fuit a summo Deo supernaturaliter agente, nimirum ex materia non disposita: sic illuminatio cæci nati per linimentum oculorum ex [f] luto, non est functio naturalis, etsi producta sanitas oculi fuerit affectio naturalis; nec etiam est artificiosa, quia lutum potius excæcabit, positum in oculo videntis; verum est operatio supernaturalis, quia facta fuit in materia non habente physicas dispositiones, naturalemue potentiam ad recipiendam illuminationem, potissimum a linimento luti: Sic omnino secunda coniunctio rationalis ani-

c 1. *phy. t.* 51. *& seqq.* 8. *phy. t.* 4. *& seqq.*

d *Genes* 1.

e *Genes.* 2.

f *Ioan.* 9.

mæ defuncti cum corpore, licet ad hominem terminetur, qui naturale compositum esse potest, vti fuit g Lazarus, & filius h Viduæ; non tamen est mutatio naturalis; nec ad eam anima defuncti naturalem habet propensionem, aut physicam potentiam; quia nec anima defuncti, nec etiam corpus cadaueris, naturales habet dispositiones ad talem vnionem, adeoque ad resurrectionem, quæ mere supernaturalis est.

g Ioan 11.
h Luc. cap. 7.

Sexta difficultas primo dissoluitur, ostendendo non omnem potentiam realem congenitam cum anima substantia, & subiectatam in anima natura, physicam esse, ac illi naturalem. Cap. XII.

DEnique vero potentiam in anima rationali demortui ad corpus denuo subeundum, quam obedientialem appellauimus, esse dicique posse vere naturalem, alia ratio sic ostendere videtur, quia Potentia realis congenita cum animæ substantia, & inexistens in animæ natura, physica est, & illi naturalis: modo potentia, quam habet anima rationalis demortui ad corpus iterum subeundum, est entitas realis, congenita cum animæ substantia, & inexistens subiectata in animæ natura: ergo potentia, quam habet anima rationalis defuncti ad corpus denuo subeundum, physica est, & illi naturalis. Quam quidem rationem etiam intime perspecta rei natura dissoluemus. In primis enim absolute negandum est, potentiam realem, congenitam cum animæ substantia, & inexistentem in animæ natura, physicam esse, ac illi naturalem: tum quia potētia, quam habet ignis ad motum deorsum (potest enim a deorsum trudi) est potentia realis, est congenita cum substantia ignis; quia simul atque ignis genitus est; potest deorsum pelli; & subiectatur in essentia, substantia & natura ignis: attamen potentia, quam habet ignis ad motum deorsum, non est igni naturalis, sed violenta, & præternaturam; vt ait b Aristoteles: tum quia potentia, quam habet homo ad capessendas disciplinas, est realis, homini congenita, & inest in hominis natura; & tamen non est potentia vere naturalis, sed artificialis, aut moralis; quia discere nō est motus naturalis, sed artificialis, aut moralis. Immo nec potentia dici debet naturalis, quia sit subiectata in animæ natura, illi con-

Rō. v.1
Sol. 1.
a 1. meteo. c. 4.
b 1. cal. t. 15.

congenita, & realis: nam in ligno, & in ferro inest potentia ad recipiendum in se formam scamni & lecti; quæ quidem potentia est realis, congenita ligno, & ferro; quia statim ac genitum fuerit lignum, & ferrum, habet vtrumque potentiam subeundi formam lecti, & scamni ab arte; quin & hæc potentia subiectatur in natura ligni, & ferri; quia forma lecti, & scamni ab artifice produci non potest nisi in materia, quæ sit corpus naturale ligni, aut ferri, aut id generis: & tamen potentia ad formas artificiosas in ligno, aut ferro, aut quauis alia materia naturali, non est naturalis & physica, vt [c] supra notauimus vel ex Diuo [d] Thoma; sed est artificialis, analoga naturali; quod innuit Aristoteles aperiens potẽtiam materiæ primæ ad formas physicas naturalem latentem, per manifestam potentiam artificiosam materiæ Artis ad formas artificiales, dum ait, [e] *Subiecta autem natura scibilis est secundum analogiam: vt enim ad statuam æs, aut ad lectum lignum, aut ad aliud aliquid habentium formam, materia, & informe se habet, priusquam accipiat formam; sic hæc ad substantiam, & hoc aliquid, & quod est, se habet*. Præterea vero nomine potentiæ naturalis proprie sumpto nos hic intelligimus propensionem physicam ad motum naturalem, quæ proprie spectat ad Naturalem Philosophum; non autem potentiam connatam alicui essentiæ, seu entitati, quæ communiori vocabulo dicitur etiam Natura, nimirum æquiuoce cum natura proprie dicta, pertinente ad Physiologum: Quare licet daremus disputationi, rationalem animam habere sibi congenitam, ac ex natura sua potentiam ad corpus iterum subeundum, a quo semel egressa fuerit; ea tamen potentia, quia neque motum naturalem respicit, neque pertinet ad Physicum, vere ac proprie naturalis non est, sed æquiuoce, seu metaphorice; perinde ac potentia Geometrica vocata, & omnis alia, quam Aristoteles, agens ex professo de potentia, prætermittit; ait enim, [f] *Quod igitur multipliciter potentia, & posse dicatur, determinatum est a nobis in alijs: Harum vero quæcumque quidem æquiuoce dicuntur potentiæ, prætermittantur: quædam etenim similitudine quadam dicuntur, vt in Geometria possibilia, & impossibilia dicimus, eo quod quodam modo sint, aut non sint*. & multo prius. [g] *Metaphorice autem, quæ in Geometria, potentia dicitur*. De qua sane potentia metaphorice-naturali, seu per simili-

c cap. 3.
d 2 phy. lect. 1.
e 1. phy. t. 69.
f 9. meta. t. 2.
g 5. meta. t. 17

nilitudinem dicta, & æquiuoce naturali, vt antea notauimus nos in præsentia non agimus; at de potentia naturali proprie dicta, quæ motum physicum respicit, & ad Naturalem Philosophum attinet: cuiusmodi non esse illam, quæ ponitur in anima defuncti ad corpus denuo subeundum, satis ostensum est in superioribus: ceterum & potentiam non denominari a subiecto, in quo inest, sed ab actu, ad quem refertur; eo cõstat, tum quod i Aristoteli denominantur a fine omnia: tum quod potentia ad formam artificiosam existens in ligno, & alio corpore naturali, non dicitur naturalis, sed artificiosa. Sic ergo falsum est primum allatæ nobis instantiæ fundamentum.

Secunda solutio ducitur ex eo, quod potentia rationalis animæ defuncti ad corpus denuo subeundum non est necessario entitas realis, congenita cum animæ substantia, & subiectata in animæ natura. Cap. XIII.

DEinde vero falsum est & secundum argumenti propositi fundamentum, quo dicitur, Potentia, quam habet anima rationalis post hominis interitum a corpore separata ad corpus denuo subeundum, est entitas realis congenita cum animæ substantia, & inexistens subiectata in eiusdem animæ natura; siquidem quum tres insint in anima rationali per mortis gladium a corpore separata potentiæ ad corpus denuo subeundum; vt a antea notauimus, nimirum Obedientialis appellata, & Moralis, seu Politico-Diuina nuncupata, & Logica dicta: si certe sermonem habeamus de potentia Obedientiali, hæc non est necessario entitas realis; quandoquidem in potentia Obedientiæ summi Dei sunt tam ea, quæ sunt, quam ea, quæ non sunt; quod Diuus Paullus asserit ad Romanos ita scribens, b *Deum, qui viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt.* & reuera dum iussu creauit Deus omnia ex nihilo, cuncta fuerunt in obedientiali potentia summi Dei; quæ potentia obedientialis in nonente ac nihilo posita ante entis creationem non potuit esse realis entitas: ita ante animæ creationem, nondum existente anima, dicitur tamen ea esse in potentia obedientiali, siue in ea nondum creata esse potentiam obedientialem non solum ad existendum,

[Margin notes: ...ap. 10. / ... de an. t. 49 / a lib. 1. cap. 4. 5. & 6. / b ... cap. 4.]

stendum, sed etiam ad corpus & prima, & secunda vice subeundum; quæ potentia non potest esse realis entitas; quia non entis non est vlla realis entitas. Consimiliter hæc potentia obedientialis non est congenita cum animæ substantia, sed præcedit animæ creationem ab æterno; quum ab æterno fuerint omnia in potentia obedientiali. Pariterque non est subiectata necessario in animæ natura talis potentia obedientialis, quum præfuerit ante creationem animæ. Sin autem sermo sit de potentia Morali, seu Diuino-politica, similiter hæc etsi sit entitas realis, non est tamen congenita cum animæ substantia, sed congenita est cum merito, ac demerito; quare primus homo in Statu Innocentiæ non habebat moralem potentiam vt mortuo se illius anima denuo subiret corpus ad æternam vel gloriam, vel miseriam; etenim per peccatum mors introiuit in mundum, & per gratiam Dei Saluatoris homo ad gloriam vocatus est. Nec moralis ista potentia subiectatur in essentia nuda ipsius animæ, sed in aggregato ex anima & merito, siue demerito, nempe in anima merente, vel demerente. Si denique loquamur de potentia logica, quæ dicit non-repugnantiam, ea priuatio quædam est, non entitas realis. Ita ergo in anima rationali demortui licet insit potentia tum obedientialis, tum moralis, tum etiam Logica ad corpus denuo subeundum; in ea tamen non est vlla potentia naturalis ad hoc, secundum quam anima separata valeat ad Naturalem Philosophum attinere; quod nos contendimus in hoc opere.

Peroratio totius operis. Cap. XIV.

Constat igitur ex superioribus, inter animas vnam rationalem triplici [a] Statu donari; quum & ante quam corpori consocietur spectari valeat saltem ordine naturæ; & in corpore degens habeatur ad finitum tempus; & post hominis obitum a corpore separata supersit immortalis. Manifestumque satis est animam rationalem in primo Statu potentiam [b] naturalem habere, physicamque propensionem ad corpus prima vice subeundum, vt cum eo constituat hominem, & functiones omnes humanas agat. Liquet etiam eidē animæ rationali, dum in corpore degit, qui secundus est illius Status, habere [c] naturalem inclinationem ad corpus sibi con-

[a] *lib. 1. cap. 1.*

[b] *lib. 1. cap. 2.*

[c] *lib. 1. cap. 3.*

bi coniunctum retinendum determinato quodam tempore. Patet postremo in anima rationali post mortem hominis a corpore separata reperiri quidem potentiam tum obedientialem, [d] quæ supernaturalis est (conueniens animæ in omni Statu, & nondum [e] existenti,) ad corpus subeundum; tum diuino-politicam, siue [f] moralem ad idem corpus denuo suscipiendum, quæ pariter vicumque supernaturalis est; tum demum [g] Logicam appellatam ad hoc ipsum, quæ dicit non-repugnantiam: sed tamen ex doctrina non solum Aristotelis, verum etiam Diui Thomæ, Doctorisque Subtilis, in hoc suo tertio Statu rationalem animam defuncti a corpore separatam non habere potentiam vllam [h] naturalem proprie ad corpus denuo subeundum, physicamue propensionem vllam ad corpus iterum animandum, ratione cuius propensionis naturalis attinere valeat ad Physicum eius consideratio: Nequicquam refragantibus, quæ [i] proposita fuerunt in oppositum, argumentis viri Florentis, & alijs nuper [k] allatis. Quæ omnia subiecta sint censuræ S.R.E.

Pataui). in Museo nostro. Prid. Cal. Apr. MDCXXXIV.

d lib. 1. cap. 4.
e lib. 1. cap. 6.
f lib. 1. cap. 5.
g lib. 1. cap. 6.
h lib. 1. cap. 7. & seqq.
i lib. 2. cap. 1. & sqq.
k lib. 2. cap. 4. & seqq.

PERMISSIONES SVPERIORVM.

Opus suprascriptum Eccellentissimi D. D. Fortunij Liceti Genuensis in Patauino Gymnasio Ordinarij Philosophi, *De varia propēsione animæ ad Corpus* cuius initium est, *Quum* &c. & finis, *allatis.* Chartarum in folio 54. fuit pro impressione Paduæ approbatum. Ita est Frater Antonius a Lendenaria Inquisit. Generalis Paduæ.

ECCELLENTISS. SIGNOR.

Ho letto l'Opera oltrascritta dell'Eccellentiss. Signor Dottor Fortunio Liceti, ne in quella si contiene cosa, per la quale non si debba concederli la stampa.

Deuotiss. Seruit.

F. Fulgentio de' Serui.

Girol. Corner Cau. Proc. Reform.

Girol. Soranzo K. Proc. Reform.

Girol. Cauazza Secret.

Index

Index Alphabeticus rerum notabilium in hoc volumine contentarum.

A

quem:

physica

vnus

separata

Præ-

FINIS.